





Pr. 38. num. 12

27
Dissertatio Politica 1703, 5

De

Constitutione atq; Genio 17

**NOBILITATIS
CIVILIS,**



Quam
Sub PRÆSIDIO

Viri Excellentissimi,

**DN. JO. PHILIPPI PAL-
THENII,**

Historiæ ac Philosophiæ Civilis Profes-
soris Celeberrimi,

In Illustris Acad. Gryphicæ Auditorio Majori

Amicorum placidæ Disquisitioni

exhibet

BENEDICTUS BREMER,

Nob. Brem.

ad diem Julii A. O. R. M DCC III.

GRYPHISWALDLE, Typis GEOR. HENR. ADOLPHI, Reg. Acad. Typ.





I. N. J.

§. I.



Rutorum animantium

ea conditio est, ut cum stupore, obvias res adspiciant. Vulgus hominum id habet ut de externa earum specie conceptis temere opinionibus regatur. At eruditio- nis laudem adeptos aut sectantes curiosius cuncta decet intueri, ut excusso rerum fundamento causaque cognita sincerum atque defecatum ubique iudicium feratur. Cum autem latissime doctrina pateat, aut certe innatus hominibus discendi ardor res numero propemodum infinitas complectatur, prout natura earundem fert, difficilius aut facilius scientia instrui & veritas attingi solet. De Deo actisque divinis quicumque scire malunt quam credere, verum denique deprehendent quod de Principe Tacitus affirmat; *abditos ejus sensus & si quid occultius paret exquirere*

A

illi-

illicitum, anceps, nec ideo assequare. De natura rerum nescio, an verius sit quod gloriari Boxhornius an quod conqueri Heinfius solebat: *Quantum est quod scitur! Quantum est quod nescitur!* Fallor enim aut paucissima eorum quæ communiter fiunt intelligimus, ita artem quærimus, ubi summa simplicitas est, nec simplicitatem illam ars assequitur, ita ex effectu causas effingimus, de rebus absentibus captuque nostro aut majoribus aut minoribus pronunciamus, ut meras conjecturas facere, nec tamen quod propositum est ænigma solvere videamur. Solæ res abs hominibus inventæ atque constitutæ id habent, ut exactius percenteri atque cognosci & debeant & possint. Uti enim turpe est homini inter homines versari, moribusque eorum ac institutis uti, nec tamen de origine eorum causaque & modo cogitare: Ita nihil hic arcani sensus subest, quod arceat aut moretur, sed quicquid autores homines habet, id abs hominibus capi, quicquid certa ratione nititur, id inter compotes rationis ad sua principia revocari, quicquid à voluntate humana proficiscitur, id ad intellectum humanum pertingere potest. Nec ferè ullum hic erroris periculum subesset, si plena atque incorrupta rerum gestarum monumenta haberemus, si quæ supersunt idoneos nacta essent autores, si quæ à diversis diversa ratione scripta extant cum justo discrimine intelligerentur, si denique affectu & partium studio vacui ex vero omnia æstimaremus, nec forte illa quæ cum splendore in oculos incurrunt, ingenii simul aciem præstringerent atque hebetarent. Quod quomodo fiat illustre nobis exemplum dabit præsens quod sele-

selegi
inter
men
rum
plicer
antur
paul
poni
ducer
bit.

fit &
est.
non b
quia
tem c
cum
um a
tantu
ritati
lem e
di ge
res p
vox
bant.
Sc. 7.
unqua
hanc

selegimus de Nobilitate argumentum. Illa quin res inter mortales præclarissima sit nemo dubitat, nec tamen ita accurate vulgo de eadem in scholis Politicorum aliisque præcipitur, quin aut confuse pleraque explicantur aut exploratæ veritati inania multa admisceantur. Quare non abs re fuerit periculum fecisse antepaulo certiora tradi aut ab aliis tradita distinctius proponi possint. Cujus rei primas in præfenti lineas ducemus, quas accuratior aliquando industria implebit.

§. II.

Quod Latinae significationis vocabulum *Nobilitatis* sit & à *Nobili* ducat originem, id extra controversiam est. Ast nugas illi agunt, quibus *Nobilis* à vocibus *non bilis*, aut *non vilis*, aut *nobis lis*, composita videtur, quia nimirum modestia atque æquanimitas nobilitatem deceat, quia abjecti nihil in generoso pectore locum habeat, quia denique solis nobilibus omnes civium atque populorum lites ferro disceptandæ committantur. Quæ omnia quam sint frigida & à genio veritatis aliena, nemo non agnoscit. Rectius alii nobilem eum vocant qui *nosibilis*, aut frequentativo dicendi genere *notabilis* est. Hinc pro noto nobilem Veteres ponebant autore Festo, & ut græcam originem vox referret, addita litera c. vel g. eandem exprimebant, uti exempla sunt apud Plaut. in Pseud. Act. IV. Sc. 7. *Cum his mihi nec locus nec sermo convenit neque his unquam nobilis fui* & in Trinumm. Act. IV. Sc. 1. *Atque hanc tuam gloriam jam ante auribus acceperam & nobiles apud homi-*

homines, iterum in Pseudol. *Oculis meis obviam gnobilis ob-
jicitur, cui congruit Attius in Diomed. Ergo Argos re-
feram nam hic sum gnobilis.* Unde & in composito igno-
bilis pro non noto ponitur. Plautus in Amphitr. *Nunc
quando ego sum vapulabis nisi hinc abis ignobilis* itemque in
Pseud. *Peregrina facies videtur hominis atque ignobilis.* Si
itaque Nobilis nil aliud natura vocis quam notum de-
notat, facile intelligitur mediæ significationis vocabu-
lum illud esse, cum ad pravas non minus quam bonas
res notitia illa pertinere possit. Ita nobile templum,
nobilem victoriam, sed & scelus nobile & nobile scor-
tum dicitur. Eadem ratione de rebus mediis quæ nec
laudem nec vituperium in se habent, vocabulum illud
usurpatur, uti prolixè ostendit Tiraquellus de Nobilit.
cap. 2. Quando itaque de homine sermo est in partem
meliorem dirigendus, nil aliud nobilitas quam clarita-
tem, eminentiam, ac prærogativam qualemcunque
denotat, quæ à promiscua turba aliquem distinguit, &
reliquis præstantiorem declarat.

§. III.

Atque illa nobilitas vulgo in *Theologicam* quæ pieta-
te, *Philosophicam* quæ sapientia & virtutis cultu, & *Politi-
cam* quæ legitima inter Cives prærogativa nititur, di-
stingui solet. Pro Theologica calculum ponunt in-
numero aliorum Osorius *de nobil. Christian. lib. 3.* Tho-
mas Mille *de nobil. polit. init.* Spangenbergius, III
Adels-Spiegel / *Lib. III. cap. 1. seqq.* Philosophicæ no-
bilitatis Autores videntur Stoici inter reliqua ejus sectæ
paradoxa superbe affirmantes, *quod solus sapiens sit Nobi-
lis,*

lis, *stulti omnes ignobiles & degeneres* vid. Sciopp. *elem. Philosoph. Stoic. cap. 130. pag. 80.* Lipsius *manuduct. ad Philos. Stoic. Lib. III. Dissert. 17. p. 340. seqq.* Conf. Senec. *Epist. 44.* Cui sententiæ & Plato favet inter quatuor illa, quæ ipsi arrident, Nobilitatis genera hoc ipsum primum præcipuumque ponens. Vid. *Diog. Laert. in vit. ej. & ad eum in not. Menag.* Accurratior tamen hic Cicero est, qui eam quæ est ex virtute præstantiam *ἐξοχλῆν* potius quam *εὐρύθεταν* appellandam putat. Eodem pertinet decantatissimum illud Juvenalis: *Nobilitas sola est atque unica virtus.* Nos omissis illis de sola Nobilitate, politica seu Civili agemus, quæ iterum aut *personalis* aut *hereditaria* est. Illa cum à peculiari fruentis merito pendeat, sublato illius respectu tollitur, aut saltem cum persona ejus, qui eandem aut contulit aut sustinuit, finitur, quorsum dignitas cruciatorum equitum, præfecturæ militares itemque dignitates togatæ aliæ, quæ vulgo nobilitati æquiparantur, referri possunt. Hæc vero communis est generi & hæreditate transit, statumque adeo peculiarem Reipublicæ facit, eximiis iuribus atque privilegiis perpetuo insignem, queis à promiscua nascentium aut adventantium multitudine idem distinguatur. Atqui de illa nobilitate civili hæreditaria solliciti erimus in præsentem, quam porro in *Romanam* atque *Germanicam* dispescimus. *Romanam* vocamus, quæ stante veteri Romanorum imperio locum inter ejus Reipublicæ Cives aut potius urbis incolas habuit. *Germanica* nobis est quæ hodie inter gentes obtinet, quæ aut Germanicum no-

men retinent, aut originis sunt Germanicæ, aut Germanorum legibus institutisque, aut certe qualicunque Germani moris imitatione utuntur. Quo nomine præter modernam Regni Teutonicæ, seu ut loqui amamus, Imperii Romano-Germanicæ conditionem, quicquid Gothorum, Vandalorum, Langobardorum, Burgundionum, Francorum, Belgarum, Anglorum, Saxonum similiumque nationum appellationibus in Historia veteri continetur, intelligimus. Secuti ea in parte loquendi morem cui Grotius adfuevit vid. *de jur. Bell. & Pac.* L. II. c. VII. §. 21. & *lib. II. cap. VIII. §. 1.* Cujus sententiæ veritatem cum vix quisquam linguæ historiæque remotioris gnarus in dubium vocaturus sit, nos hic tantisper velut agnitam supponimus. *Germanica* illa nobilitas in *superiorem* ac *inferiorem* distingui solet. Illa quæ & titularis vocatur, ideo quod novum nobilibus titulum præbeat, ad Imperatores, Reges, Principes &c. refertur, hæc solos nobiles nec alio hæreditariæ dignitatis vocabulo insignitos denotat. Illam non quidem omnino negligemus, hanc vero præcipue curabimus.

§. IV.

Artequam vero naturam utriusq; Nobilitatis Romanæ atq; Germanicæ explicemus, demonstrandum ante omnia est in reliquis Civitatibus hic illic orbem terrarum occupantibus idem institutum nunquam obtinuisse. Id quod de potioribus nunc quidem fieri sufficit & quorum testatior memoria superfit. Ut ergo ab antiquissimo *Judæorum* statu initium faciamus, quicquid

quid de eodem in sacris literis aut inter profanos rerum gestarum Autores descriptum extat, duplici modo spectari potest ut aut Familiam Jacobi aut ex ea enatum populum designet. Quo tempore Familia illa in Aegypto hæsit, durissimæ servituti subiecta fuit. In locis desertis iter faciens, armisque deinde Palæstinam sibi subjiciens, speciem magis exercitus aut si majoris gentis atque nationis quam populi, in sensu politico sic dicti, præbuit, unde & frequenter in sacris literis nomine Israelitarum (*die Kinder Israel*) appellantur. Cum vero familia quantumvis diffusissima Civitatem haud constituat, de civili quoque quod eadem habeat instituto quærere supervacuum fuerit. At deinde familia Jacobi territorium adeptam cum justam Civitatem constitueret, duplicem habuit reipublicæ suæ formam. Prima vulgo Theocratica vocatur, cum à solius Numinis nutu populus penderet, altera fuit Regia. In Theocratico statu cum Deus ipse summum civitatis illius imperium obtineret, nullum ipsius speciale mandatum extat, à quo origines nobilitatis Judicæ arcessi queant. Nec Heroes quos Divino instinctu actos voluntatis suæ perficiendæ administratos Deus excitare solebat, aliam unquam auctoritatem habuerunt, quam ut tempore pacis jus dicerent, & belli tempore ab oppressione hostium cives liberarent, haud quaquam inde transmissa ad posteros suos dignitate. Quæ quoad viguit, status reipubl. ejus mere erat popularis, cui omnimoda civium æqualitas pro basi atque fundamento substrata fuit. Hoc enim sine institutæ leges de anno jubilæo & contractæ servitutis solutione *Levit.*

XXV, v. 14. 31. *Deuter.* XV, 2. de non alienandis in perpetuum fundis *Num.* XXXVI. de usurarum interdicto *Exod.* XXII, 25. *Levit.* XXV, 37. & alia complures. Qui deinde secuti sunt Reges, in novas classes subjectas sibi tribus cum perpetuo honoris atque potestatis discrimine digessisse non leguntur. Quod quidam objiciunt verba *Deuter.* I, 13. 15. à vulgato interprete ita reddita, ut electos à Mose *nobiles* homines affirmet, id inter nepos illius translationis aut inter legentium vitia est deputandum. Vocabulo enim Hebraico quod ita latine redditur nil aliud quam homo peritus, notitiam rerum hominumque habens, aut aliis hominibus notus designatur. *vid. Lexicogr.* Quæ ratio est quare LXX. interpretes hunc ipsum locum per *συνεργος* convertant, tantumque revera abest, ut hi à Moyse constituti iudices eorumque posterii peculiarem in civitate Judaica statum fecisse sint dicendi ut potius ad ipsam in populo servandam æqualitatem constitutionis illius ratio sola virtutis & perspectæ fidei opinione nixa valeat. Opponunt alii locum 2. *Reg.* VII. ubi equitis (*εἰσὶν ἄρματα*) mentio fit cujus dextræ innixus Rex Judæorum in publicum processerit. Sed obvertimus modo dicta, nec agnoscimus in hebraica voce quæ hic extat quidquam quod ad equites peditesve faciat delitescere, cum eadem nil nisi tribunus, aut tertium à Rege locum tenens designetur, quod ipsum de ambulatoria dignitate intelligi potest. Nec ad rem facit, quod ex dictis Judæorum iudicibus quidam nobis nescio quos optimates effingunt, qui Aristocraticam Reipubl. ejus formam effecerint, cujus sententiæ autorem hab-

habent Josephum *Antiquit. Judaic. Lib. IV. c. 7.* Non enim hic de forma imperii Judaici sed de eorum qui huic imperio subditi fuerunt conditione quæritur, falsumque præterea esse quicquid de statu illo Aristocratico memoratur ostendit Conringius *de Republ. Hebr. §. 43.* & contra Sigonium *de Republ. Hebr. Joannes Nicolai in not. ad eundem.* In ipso autem colligendi modo roboris nihil inest, quoniam in gente aliqua quidam præcipuæ dignitatis viri semper emineant, qui ad gerendam Rempublicam adhibeantur, ideo quoque hereditariam dignitatem universo ipsorum generi adhærescere.

§. V.

Eadem ratione Nobilitatem Græcanicam, quam illa lingua scriptorum interpretes, aut qui interpretum opera utuntur nobis faciunt, ipsa Græcia ignorat. Quid de tempore incerto Poëtæ vetustissimi canant, queis sincera rerum gestarum civilium præcipue veritas vix unquam cordi fuit, accuratius nunc dijudicare nihil attinet. Si illud argumentum valet quo Cujacius probat Homeri tempore nullas fuisse Leges, quod ille earum mentionem haud faciat, in promptu nobis erit nobilitatem illius ævi inficiari, cujus apud eundem ne vestigium quidem extat, quod nec in recentioribus apparet. Scripta autem illius gentis Historica in duas classes commode possunt dividi, ut aut exterarum res aut vernaculas commemorent. Ad priorem ea referimus quæ vicinæ Asiæ Africæque statum perstringunt, quem nisi interpretem Græciam haberemus Europa

B

ropa

ropa omnis ignoraret, aut certe ad id usque tempus ignorasset, quo domestica Perfarum, Arabum, Indorum, ut & Ægyptiorum scripta Doctorum Virorum manibus teri cœperunt, quibus tamen an pars ea eruditionis quæ ad Rempublicam pertinet magnopere juvari queat dubitamus. In Asia enim ut aliæ disciplinæ floruerint, Philosophia civilis Architectonica vix unquam in honore fuit, aut saltem ea libertas concessa non est eruditis, ut de rebus ad Reipublicæ suæ constitutionem spectantibus verba facere auderent. Id vero Historia demonstrat in usu Orientis semper fuisse, ut præcipuæ illius partes addictissimo unius imperio regerentur. Ast domino tali probabile vix est in mentem unquam venisse ut de discrimine inter mancipia faciendo cogitaret, & ut velut distinctos obsequii gradus constitueret, qui cæca brutaque subjectione promiscuam omnem multitudinem obnoxiam sibi habere conabatur. Nec certe quidquam à genio tyrannidis quam dignitatum hæreditariarum largitio magis abhorret, queis potius abolendis & exterminandis sedulo eadem invigilare solet, uti modernis Turcarum aliorumque exemplis constat.

§. VI.

Ut itaque primo loco *minoris Asia* littora lustremus, partem ejus non exiguam coloniis olim suis Græci tenuere. Equidem quæ conditio earundem fuerit in tanta præsci temporis caligine definire arduum est. Id certum viderur Colonias hæc mercatorias fuisse, à militaribus illis, quas velut præsidii causa in solo hostili

Ro-

Romani collocabant, oppido quam diversas. Et solebant priores illæ duplici ratione constitui, unâ, ut multitudo in loca peregrina concedens patriâ relicta novam omnino & sui juris futuram civitatem constitueret, alterâ ut retento priori statu, solo mutato loco, pars velut discreta majoris patriæ maneret. Priori casu soluto civilis obsequii vinculo in locum ejusdem sola mutui fœderis obligatio succedit, cui inæqualitatem quandam remanens in nova urbe pietatis atque reverentiæ debitum videtur admiscere. Hoc modo Carthaginem Tyrii condiderant, cujus incolas non pro subditis sed pro amicis & quidem arctissimâ, qualis inter patres filiosque sui juris factos esse solet, necessitudine sibi conjunctos habuerunt. Vid. *Curtius Lib. IV. Cap. 2. Num. 10.* & quæ *Cap. seqq. III.* alibique sparsim exstant. Alioquin non auxilia Tyriis ab Alexandro obsessis, quod fœderatorum est, Carthaginenses promississent, sed civitati suæ factam injuriam indicto Macedonibus bello propullassent. Diversa ratione Athenienses in Chersoneso Miltiadis ductu Colonias constituiebant, ut scilicet multitudo eo demigrans pars nihilominus civitatis Atticæ maneret. Testatur enim *Cornelius Nepos in Vita Milt.* non suo eum sed Atheniensium nomine cuncta peregisse, & quaecunque in Colonos Imperium non sola eorum, cum quibus profectus erat, sed & eorum, qui misissent, voluntate tenuisse. Præterea iniqua non solum, sed plane inficeta cavillatio fuisset, ut Miltiades Lemnum sibi ex pacto tradi postularet, quod vento Borea domo profectus cum classe insulam attigisset, ni pro parte patriæ factam illam Chersoneli

accessionem venditasset, & id ipsum haud absurde dici Lemnii agnovissent. Luculentius eadem res declarari potest moderno Belgarum exemplo, quorum Rempubli-
 cam male novit qui tot diversarum civitatum funda-
 tricem facit, quot sunt loca in usum itineris atque com-
 mercii in littore Africæ atq; Asiæ à mercatoribus Belgi-
 cis occupata: Qui enim eadem incolunt non minus sunt
 subditi Belgarum quam qui Amstelodami aut Ultraje-
 cti habitant. Si itaq; priori modo dicendum est cum A-
 siaticis Græcorum Coloniis fuisse comparatum, probabile
 est à genio metropolis propagines illas urbium non de-
 flexisse, sed mores & instituta patria, ut fieri solet, sanctè
 retinuisse. vid. *Curtius* l. c. N. 10. & *Cap. 3. N. 23.* In usu
 verò Græcorum nobilitatem quam diximus non fuisse
 deinceps demonstrabitur, nec solent qui lucro & quæ-
 stui inhiant, in appetendis novis honoribus ambiciosos
 se præstare, magisque de opibus quam de dignitatibus
 hæreditariis esse solliciti. Quod si vero Asiam incolen-
 tes in fide & ditione Græcorum mansere, sequitur
 quod peculiaria ipsorum nulla instituta civilia esse po-
 tuerint, qui civitatem ipsi non constituebant. Fuere
 præterea in littore Asiatico, locisq; mediterraneis regna
 quædam Indigenarum obscuriora, quàm ut de modo
 Imperii aut de subditorum conditione certi quidquam
 nobis constet. Quantum tamen colligere licet, in pa-
 trimonio Principes illi regna sua habere, id quod testa-
 menta Attali Pergami, Nicomedis Bithyniæ, Archelai
 Cappadociæ, Pylemonis Paphlagoniæ Regum aliorumq;
 fatis indicant, de quibus videtis *Vellej. Paterc. lib. II. cap.*
4. & Jornand. de successione regnorum Cap. 55. quibus in pote-
 sta-

stat
 Aut
 aut
 neq
 facu
 Imp
 extr
 ri po
 Qui
 nan
 XX
 dean
 qual
 gnat
 oner
 bus a
 Justin
 li ap
 popu
 inter
 velut
 est, a
 glige
 in jus
 form
 gō on

 J
 ci, qu

statem populi Romani gentes sibi subditas tradidere. Aut testamento nonnisi Dominium, quod in rebus est, aut quod est in servos severius Imperium transferri, nequaquam verò ad liberos homines eandem testandi facultatem pertinere, hóc sensu, ut quod in eos civile Imperium Principi competit pro lubitu ab eodem in extraneum quemcunq; mutató Reipublicæ statu conferri possit, juris naturæ & gentium scita fatis indicant. Qui autem eâ conditione parent, ut ab insana dominantium voluntate, qualem Attalo tribuit *Justinus lib. XXXVI. cap. 4.* post mortem quoque eorum toti pendean, & sine causa extincto legitimi successoris jure, qualem Nicomedes in filio habebat justis nuptiis prognato, teste *Sallustio fragm. hist. Lib. IV.* in alieni populi dittonem simpliciter transdi possint, de eorum eximiis juri- bus atq; honoribus cogitare supervacuum est. Unde & Justinus isthæc narrans non alia quam promiscua populi appellatione Pergamēnos denotat, nec ullam ejusdem populi præcipuam partem tangit, quæ controversiæ inter Romanos atque Aristonicum disceptandæ suo velut jure intervenerit. Sed faciebant illi, quod servorum est, ac utri parerent securi, de suo ludentes corio negligenter aspiciebant. Unde Respublica Romana velut in jus illud plenissimæ potestatis regiæ succedens, in formam provinciæ redactô regnô, assuetô subditos jugô onerare non destitit.

§. VII.

Juvat paucula hic subnectere de Statu *Regni Assyria-*
ci, quoad de eodem constat; Quæ verò in sacris literis
B 3 &

& in historia civili parum sibi consentanea traduntur, ferè hujusmodi sunt. Vindicasse sibi Reges plenissimam facultatem de Vita, fortunis, atq; existimatione subditorum disponendi, ex eo patet, quod de Nabuchodonosore *Daniel cap. V. v. 19.* & de Dario Medo, qui inter Assyrios rerum potiebatur *Cap. VI. v. 24.* affirmat. Subditorum verò dignitates non aliàs fuisse, quàm quas præsens Regum gratia, aut recentis opinio meriti, itemq; ministerii quotidiani necessitas tribuerent, probari videtur posse ex *Daniel I, 19. 20. & II, 48. III, 2. VI. 1, 2.* Tantumq; abest, ut illæ hæreditario ad posteros jure, pertinerent, ut potius temerè collatæ levissima quoq; de causâ mutarentur, nec alia ferè Reges largiebantur, quàm panni purpurei & torquis aurei gestandi facultatem, unà cum officio aulico, vid. *Dan. V, 16, 29.* quæ partim inania erant, partim nullo negotio iterum eripiebantur. Quæ & justo pretio Propheta æstimabat, cum qui secundum à Rege locum tenuerat, in eam deinceps obscuritatem relapsus, ut nec proximus Regni successor ipsum agnosceret, tertium à Rege locum sperare juberetur, vid. omninò *Dan. II, 46. 48. V, 13. & 17.* In reliqua multitudine, quæ ad præstanda ministeria aulica evocata non erat, solum discrimen ætatum, nationum, ac linguarum videtur constitutum fuisse, uti conjicere fas est ex *Dan. III, 4. & 31.* Quæ de Nino, Semiramide, cæterisque Assyriorum Regibus Diodorus aliq; memorant, omnia ferè ad res bellicas respectum habent, quæ sine commemoratione status subditorum recensentur. Quod autem Annius Viterbiensis hic nugatur refellere operæ pretium non est.

§. VIII.

§. VIII.

Paulò certiora sunt, quæ de *Perside* circa rem præsentem descripta existant. Testis est Plutarchus *ad princ. indoct.* adeò superbè subditis suis Persarum Reges imperitasse, ut pro servis atque mancipiis haberent omninò omnes, solâ exceptâ conjuge regia tot aliquando servorum Dominum pariturâ. Unde se ipsos non alio quam Dominorum, & subditos suos servorum nomine appellabant, qui & ipsi consertos se mutuò salutare didicerant. vid. 3. *Esdræ* II, 16. 17. Conf. *Joseph. Antiq. Judaicar. Lib. II. cap. 2.* & *Xenophon* *Ελλην. Cap. IV.* Sic Aristagoram Milesium servum suum, & Pelopem Phrygium majorum suorum servum impotenter appellat Xerxes apud Herodot. in Polyhymn. Sic amplissimarum provinciarum Præsides, & cum dignitate summa militiæ Præfecti, quin ipsi Regum fratres, Regulique stipendiarii servorum nomine designabantur, uti videre est apud *Aristotelem de mundo*, & *Xenophont. Αναξαρ. Lib. I. & II.* Nec verò id inter verborum fortè inania est referendum, sed revera Persarum Reges nulla subditorum libertate temperatum Imperium exercuere, quois ipsi juris Persici periti licere profitebantur, quod liberet, vid. *Herodot. in vita Cambyf.* quois subditi teste *Curtio* obedienter per omnia atque piè, sive ulla injuriæ aut molestiæ excusatione parebant, quorum jussu primarii quoque viri ad publicas deliberationes admissi atq; evocati ob solum à sententia regia dissentum vel alia nulla de causâ verberibus affici flagrisq; cædi, majoris haud dubie mali metu, pro insigni beneficio & recordationis regiae

regiæ signo interpretari cogeantur; vid. *Stobæus Serm.* 42. & *Ælianus var. histor. lib. 12.* Quæ causa est quare pro exemplo absolutissimi Imperii Monarchiam Persarum alleget *Plutarchus* de 3. gener. rerumpubl. Quis verò inter contumelias honores, & in pessimæ notæ servitiis nobilitatem vel requirat vel agnoscat? Equidem in *Cyri* laude ponitur, quod pater subditorum, aut si *Pausaniæ* credimus in *Arcad.* pater hominum appellari meruerit. Sed indulgentia patrum, qua subinde liberis abblandiuntur, perpetui juris nihil iisdem confert, & quicquid humanitati imputatur, id nulla certa obligatione niti vulgò creditur. Quod autem Proceres Persarum in latina *Herodoti* interpretatione subinde nobilium vocabulo ornantur, id verò non magis peculiarem eorum statum efficit, quam ex numero septenario *Darium Hytaspis* eligentium fundatio Collegii Electoralis Germanici arcessi potest.

§. IX.

Post Persas facienda est mentio *Indorum*, de quibus id quod in præsentia quærimus ignorare nos non patitur *Diodor. Siculus Biblioth. Historic. Lib. II. cap. 39.* seqq. Confer, quæ eidem omninò consentanea ex *Nearcho* & *Megasthene* adducit *Arrianus rerum Indicar. pag. 530.* seqq. Erat ergo secundum eos Respubl. Indorum merè olim popularis, cum conditoribus ejus *Philosophis* absurdum videretur, leges ferre quæ non æquè omnes obligarent, & æqualem ab omnibus legum obligationem exigere, qui æqualibus facultatibus non sint instructi. Seu ut clariùs dicam, putabant illi perfectissimam juris at-

atq; obligationis omnis communionem inter subditos firmissimum esse Reipublicæ vinculum, quod equidem quam verum sit, nunc non quærimus. Id certum est eandem ob causam nullum apud Indos servitutis usum fuisse, sed inter libera capita omnimodam communis juris æqualitatem obtinuisse. Non obstabat, verò æqualitas illa, quin ordinis causa in *septem* tribus Indi distribuèrentur. *Primam* occupabant Philosophi, i.e. Sacerdotes & rerum politicarum gnari, qui simulationem pietatis & suppeditas prudentiæ regulas ad usus reipublicæ, quoties opus erat, variis editis vaticiniis ac præfagiis institutisq; ceremoniis callidè adhibere didicerant. Atque eorum potissimam fuisse dignitatem, itemque plenissimam ab omni Imperii atq; obsequii civilis onere immunitatem autores docent. *Alterà* classis erat militum, quique pacis tempore armorum, equorum atque Elephantorum curam suppeditatis publicè sumtibus gerebant. *Tertià* erat senatoria, exiguò numero constans, sed rerum usu & Reipublicæ procurandæ solertia insignis, quorum erat consilio Regibus adesse, Imperia bellica administrare, pacisque tempore Magistratum gerere. *Quartò* locò Ephori erant sive Exploratores, per provincias circumire, rimari omnia, ac secus acta ad Præsidentem Provinciae, Præsidentum verò errata ad Reges referre docti, publici privatiq; inter cives officii exactores. *Quintum* genus erat agriculturalum, queis à bellicis aliisque muniis per leges Reipublicæ vacatio, & ab hostili injuria pactò quòdam vicinarum gentium securitas indulta. *Quicumque* id vitæ genus amplectebantur, de fundis quos cole-

colerent ac inhabitarent, certa vectigalia cum quarta fructuum parte Regi, in cujus clientela omnis India est, quotannis pendebant. Neque enim privato cuiquam possidere agros concedebatur. *Sextum* genus Pastorum atque opilionum erat, i. e. hominum qui nec urbes inhabitarent, nec pagos, sed pro domibus tabernaculis uterentur. Atque illis injunctum simul erat, feras noxias & volucres sementi infestas sylvis arbutisque expellere. *Septimus* demum ordo continebat opifices, qui arma & instrumenta omnia rustica ad domestica fabricarent, quo nomine præter immunitatem à bello, & privatam operæ mercedem, è granariis regis certam frumenti mensuram capiebant. Atque illæ classes hominum distinctissimæ erant, ita ut ex diversa tribu uxorem ducere aut duplicis tribus munia obire, callentissimo quoq; & pluribus sufficienti negotiis non liceret; in quibus omnibus nil simile statui Nobilitatis, qualem innuimus & qualem uberius in sequentibus describemus, inesse deprehenditur.

§. X.

De *Scythis* præsertim iis quos ab Europa fines Asiæ disterminant, quorum tamen cum Europæis conjunctissima vitæ ratio in plerisque fuit, Herodotus talia narrat in *Melpom.* quæ ad cultioris vitæ instituta vix pertinent. Dividit eos in pecuarios & agricolas. In illos competere videntur sequentia: Quod sine urbibus mœnibusque regionem incolant & domos secum ferant, pro domibus scilicet habentes plaustra, nec pane sed pecude victitantes, quæ pecoris pascendi ratio, ob

diversum cœli positum, pabuli proventum, aquandiꝫ
& latitandi commoda sæpe eos locum mutare subigit.
Ad reliquas pertinet illa de aratro atq; jugo, in Scythicam
terram cœlitus demissis, persuasio, cum qua dona Ale-
xandro missa consentiunt. Curt. *Lib. VII. Cap. 8. n. 17.* ex
quo limitationem accipiunt Justini illa *Lib. II. Cap. 2.* ubi
fines certos incolarum esse, aut exerceri ab iis agrum
negat, intelligenda nimirum ad mentem quam dicto
loco Curtii *n. 23.* Scytharum legati pandunt, dum deserta
& humano cultu vacua *magis* quam opulentos agros
à se quari profitentur. Nec certè vita humana sine,
qualicunque agriculturæ usu, nec ille sine fixa quodam-
modo sede intelligitur. In utroque autem vitæ Scy-
tharum genere non memorant quidquam de modo Rei-
publicæ aut subditorum conditione authores, puto
quod inaccessa peregrinis gens esset, & quod simplici-
ori imperio Reges uterentur, quam ut de constituendo
honorum discrimine, inter pastores atq; agricolas, qui
sine certa fundorum proprietate, sine auri argentique
usu, sine mercaturæ atque opificiorum scientia, & sine
omni rerum externarum cura, æquali omnes patientia,
inopiam & frigora tolerare didicerant, cogitarent.

§. XI.

Cum Scythis paria fere *Arabes* fecere, quorum ple-
rique pastores pecorum erant, in vastis desertisque
campis oberrare, aut in magalibus latitare fuerit. Pau-
ci qui ad mare aut ad limites Syriæ propius vergunt,
agriculturæ & mercaturæ operam dedere, Diodor.
Lib. II. Cap. 54. Belli inter eos, cum bellandi causæ de-
essent,

essent, exiguus usus, externi hostis arma vix unquam inter eos visa aut audita, cum frumenti, pabuli & quod majus est aquæ inopia adiri ea loca non patiantur. Antiquissimis temporibus memoria non exstat Arabiæ sub principatus Imperii obsequium redactæ sed inexiguos Principatus distributæ, qui quo genere Imperii usi fuerint, quid subditis reliquerint libertatis in obscuro est. Nomen genti recentioribus seculis fecerunt Saraceni, quos nunc Turcarum nomine appellamus, è quorum moribus si de institutis majorum judicare licet, nil rerum earum quæ in nobilitate insunt in usu apud eos fuit. Sola familia Imperatoria Ottomannidarum illustris est, præter eam nulla apud illos generis ratio habetur, ita ut summorum virorum, quos virtus sua exstulit, filiæ bubulcis atque opilionibus nubant, & horum iterum filii summas in Republica Turcica dignitates adipiscantur. Vid. *Busbequ. Epist. I. pag. 41. & no.* Sui cuique mores fingunt fortunam, nec extra officii publici auctoritatem diversa sunt eorum qui uni parent Imperio jura Vid. *Soranz. Ottomann. passim*, dudumque observatum à prudentioribus est, inter arcana status Turcici id esse, ut nec nobiles creentur, & qui in locis bello captis nobiles sunt mature extinguantur. Quam similitudinem nonnulli inter equites Turcarum, vulgo Spahos & specialiori nomine Timariotas dictos (Timarum enim assignatio est certorum reddituum, qui ex usu fundorum in vicem stipendii tradito recipiuntur) cum nobilitate nostra feudali efficiunt, ea non satis tuto fundamento nititur, id quod facile omnes agnoscent, qui Suecicum alendi militis

mo-

modum norunt, ex quo gregarium quemque nobilitatis jura habere nemo dixerit.

§. XII.

Quod si ex Asia in Africam transeamus, primo nobis loco occurret *Ægyptus*, de qua mire circa rem præsentem scriptores variant. Sunt qui omnes *Ægyptios* nobiles, sunt qui nullos putent, ambiguis inter alia *Diodori Siculi* verbis adducti quæ exstant *Histor. Lib. I. Cap. 92.* Prius certe, si de Nobilitate civili sermo sit, affirmari haud quaquam potest, cum pars Reipublicæ non sit quæ universam Rempublicam amplectitur, nec natura dignitatis ferat, ut æque omnibus adesse possit. Nobilitas ergo sine plebe non magis intelligitur, quam Regnum sine subditis. Unde inter ineptias jactantiæ Ibericæ cordati merito referunt, quod Lusitani omnes nobiles se ferant, ne vilissimo quidem opifice excepto. Vid. *Clenard. Epist. p. m. 20.* non aliam forte ob causam, quam quæ in re simili à *Connestaggio* redditur, *Præfat. ad Conjunct. Portug. cum Hispan.* quod opinione illi vivant, potiusque eo quod esse se putant, quam quod revera sunt sustententur. Quæ vero mens *Diodori* sit, ex eo facillimè intelligitur, quod de Nobilitate Græcorum addit, quam nil nisi aviti sanguinis inanem jactantiam, Rhetorum declamationibus illustrari solitam, fuisse demonstrabimus. Cæterum Reipublicæ *Ægyptiacæ* diversa pro temporum ratione fata fuisse *Historia* memorat. Qui de eadem è *Genes. XLVII, 18, 19, 20, 23.* cognoscit, ubi cum ipsa libertate omnem bonorum proprietatem amissam *Moses* docet, de nobilitate *Ægyptiaca* parum amplè sibi pol-

pollicebitur. Quæ hancce status Ægyptiaci mutationem exceperere tempora, luculenter describit *d. l. Cap. 73.* Diodorus, & primo quidem terram omnem in tres quanquam forte inæquales partes distributam narrat, quarum *prima* vectigalia Rex ipse ad aulæ splendorem servandum & sustinenda Imperii onera sibi retinuerit, ne tributis populum premere cogeretur. *Secunda* redditus contulerit in sacerdotes, ut sacra illorum impensis ritè procurarentur. *Tertiam* denique pertinere voluerit ad milites, quos tantò majori animo depugnatos pro patria credebat, si & stipendia certa haberent, & ad ipsam velut patriæ terræ glebam affixi gignendis educandisque liberis, futuris militibus, operam diligenter impenderent. Quantum vero ad reliquos homines attinet, tres quoque eorundem classes constitutæ leguntur; *Prima* agrorum, qui in fundis alienis pro certa pensione colendis, *altera* pastorum, qui in pecoribus nutriendis, *Tertia* artificum qui in opere faciendo occuparentur, idemque semper vitæ genus sine variatione aut cumulatione obtinerent. Addendi videntur *quarto* loco urbium incolæ, ex quibus delectos privatarum litium disceptatores atque iudices idem autor paulo post memorat *Cap. LXXV.* Atqui illa omnia collecta & inter se collata nobilitatis hæreditariæ nullam imaginem effingunt.

§. XIII.

Tractus Africa littoralis qui ad Mediterraneum Mare pertinet itidem nihil habet in quo nobilitatis genium agnoscas. Caput illius quodam Carthago fuit, tre-

trecentarum amplius urbium Lybiæ Domina eoque potentia prospero commerciorum usu evecata, ut Romani Imperii pertinacissimam æmulam diu ageret. Illius Reipublicæ status mercatoribus atque nautis regendis convenientissimus Democræticus fuit, in quo ut fieri solet, plebis nomine quotidiana civitatis negotia per senatum expedienda curabantur. Vid. *Aristot. Polit. Cap. IX. Justinus Lib. XXI. Cap. 4. num. 3.* Ad senatum non alia ratio ascendendi civibus erat, quam per canam virtutem opesque tantas, ut sine rei familiaris dispendio Reipublicæ quis vacare posset. Quæ ratio est quare mixtum cum statu Democrætico Aristocrætiæ Aristoteles agnoscat & Senatum *γεγοσιόν* vocet. Caput Senatus Suffetes erant quorum non dissimilis à Consulibus Romanorum potestas, eademque annua fuit. Illi non successione aliqua hæreditaria aut generis jure ad Imperium perveniebant, sed liberis populi suffragiis ex qualibet honesta familia eligebantur, nec aliam potestatem, quam quæ Collegiorum Præfidibus competere solet, habebant, quamvis titulo regio ornarentur. Vid. inter alios Corn. Nep. *in Hannib. Cap. VII. num. 4.* Idem & Belli Duces vocabantur, prout ex eodem *Nepotis loco* ut & *Justino Lib. XXII. Cap. 7. num. 7.* colligere licet, Conf. *quæ ad eundem notat Berneggerus.* Atque ea ex re perperam intellecta, novam aliquam Democratia Carthaginensis cum statu regio mixturam commenti sunt. Quemadmodum vero res viliores atque quotidianæ expeditionis sic fati commode peragebantur, ita ubi sententiis Senatus Suffetesq; pertinacius dissiderent ad populum res deducebatur, qui

in

in concionem promiscue vocatus supremum de re con-
troverſa arbitrium ferebat, cui obſiſtere atque con-
traire fas nullo modo erat. Idem etiam populus de
rebus gravioribus conſuli à Senatu atque Suffetibus
debebat, quando ſcil. de magiſtratibus creandis, legibus
ferendis, fœderibus, pace belloque, veſtigialibus, atque
tributis conſtituendis agebatur. Vide latè hæc omnia
proſequentem Ubbonem Emmium & Hendreichium
de Republ. Carthaginienſium. Ubi autem promiſcua mul-
tudo imperat, ubi ſola ætatis, virtutis, atque pecu-
niæ habita ratione dignitates electione conferuntur,
ibi ne umbra quidem eſt nobilitatis quam nos requiri-
mus.

§. XIV.

De *Mediterraneis Africa locis* (reliquæ enim littoris
Africani partes, quæ ad Occidentem vergunt, ignotæ
veteribus fuerunt) vix ſuppetit aliquid memoratu di-
gnum. Ita ſemper arenæ illæ cultu mortalium vacuæ
& ignotæ exteris fuère, nec ipſorum incolarum inge-
nia ſatis novit, qui aut ordinatiorem inter eos Rem-
publicam, aut de Republica Philoſophicas commemo-
rationes requirit. Uti enim apparet, ipſe cœli poſitus
non magis torridæ quàm glaciali Zonæ ſubditos inge-
nioſos eſſe patitur, nec forte felicius unquam inter Æ-
thiopes quam inter Lappones bonæ literæ florebant,
quæ hætenus inter Ægyptum atq; Sueciam velut inter
extremos Reipublicæ literariæ fines ſe continuerunt.
De quodam Æthiopum genere, quos Garamanticos
vulgo vocabant, Solinus memorat in *Polybiſt. Cap. XXX.*
quod

quod matrimonia ignoraverint, promiscua Venere u-
tentes, unde & solæ matres liberos agnorint, nulla
paterni nominis reverentia, nulla certa successione
formula exstante. Atlanticos idem author affirmat,
ab omni humano ritu exulare, adeò ut ne propriis
quidem, aut gentilitiis nominibus homines distinguan-
tur vid. *Cap. XXXI.* Alii ejusdem gentis à vago atq;
erratico vitæ genere Nomades dicti, aut à fera crude-
litate Anthropophagi. Quis verò inter hos tales bru-
tis fimiliores quam hominibus, cultioris per civitatem
vitæ decora requirat?

§. XV.

Restat ut ad ipsam *Græciam* veterem respiciamus,
cujus Respublicæ Europa tota florentissimæ fuere. E-
minent verò inter reliquas *Attica & Spartana*, itemque
Macedonia regnum. Quantum ad *Athenienses* attinet,
negari quidem omninò non possunt, quæ apud *Ælian.*
Var. hist. Lib. V. Cap. 13. exstant, quod ante Democrati-
am plenè introductam modò regni modò Aristocratia
speciem illorum Respublica habuerit. Accuratius ta-
men intuenti patebit, statum quietæ civitatis semper
& ubique merè fuisse popularem. De Regibus Athe-
nensium Trojano ævo superioribus quid sentiendum
fit, ipsa temporis ratio facilè ostendit. Constat enim
Theseum, qui vulgò pro conditore Reipublicæ Athe-
nensis venditatur, non alia ratione hominibus sparsim
degentibus persuadere potuisse, ut agris relictis conce-
derent in urbem, & sublato familiarum jure civili Im-
perio subjicerentur, quam abdicato regno & promissa
D omni-

omnibus libertate, tali quidem tantaque, ut penes populum summa futura esset potestas, ipse autem Theseus retentò nomine regio, belli à populo decernendi Dux, legumque à populo condendarum, custos esset. vid. Plutarch. *in vit. Thesei*. Quod autem idem addit, populum Atticum à Theseo in tres classes, Patriciorum, Agricolarum, & Opificum fuisse distributum, id manifesta comparationis, quam inter Theseum & Romulum instituit, licentiâ nititur, cum nemini de Patriciis in mentem venire possit, ubi Patrum appellatio non vigeat, quæ inter Athenienses in usu nunquam fuit. Utitur eam ob rem Plutarchus fictò nomine *εὐπατριδάρων*, quo, sine affectata usus Romani imitatione, vix quisquam Græcorum usus deprehenditur. Nec ratio quidem illius appellacionis, quæ in Romana colluvie erat, in honestis viris, qui è naturali libertate in civitatem Atticam concesserant, valebat, ut quidam tantum eorum ciere patrem possent. Quod porro adjungitur de æqualitate totius populi, ita per Theseum temperata, ut ad res diversas eadem pertineret, & dignitate quidem Patricii, agricolæ utilitate, opifices numero præstarent, id nullo plane sensu dicitur. Si enim opifices in fruitione communis juris numero valuerunt, si porro superiores classes deterioris saltem conditionis non fuere, fuit certè summa rerum penes omnes. Dignitas vero quæ falso sic dictis Patriciis adscribitur, non nisi de sola ordinis ratione explicari debet, qui non magis nobilitatem facit quam in oppidis nostris, qui potiori sunt inter cives loco (*die vom ersten Stande seyn*) eundem sibi honorem vindicare possunt. In-

nis p
re qu
genda
comm
tam f
procu
Magis
electi
fuisse
Ubb
nuit p
bem f
tarch
Ilocra
narum
dem f
itiden
& Ho
num
fis me
re illo
rexit
opific
tribus
in trig
Anony
Attic.
fionen
los, (

nis porro dignitas est quæ utilitate caret, nec temere quis crediderit, qui Atticam novit, majorem colligendarum opum occasionem in agricultura, quam in commercii & artium manuarum exercitio repositam fuisse. Ponamus quoque, quod asserit Plutarchus, procurandæ religionis, dicendi juris, gerendique Magistratus jus solis patriciis fuisse, penes ipsos tamen electionem sacerdotum, judicum atque magistratuum fuisse nequaquam memorat, cujus contrarium ostendit Ubbo Emmius *Descr. Reip. Athen.* Si ergo jus illud pertinet promiscuè ad omnes, vis utique Imperii penes plebem fuit, in quam & Theseum propensior fuisse Plutarchus non diffitetur. Notari meretur quod est apud Isocratem *in Encom. Helen. & Panathen.* popularem Athenarum statum à Theseo esse introductum, & ad ejusdem formam deinde à posteris restitutum. Pausanias *in Attic.* Thesea popularis status autorem dicit, & Homerus ipse, quando navium ad Bellum Trojanum missarum numerum init, solius populi Atheniensis mentionem injicit. Post extinctos Reges, tempore illo quo Archontes Athenis imperabant, nova surrexit populi distributio in *quatuor tribus*, Armatorum, opificum, Agricolarum, & Caprariorum. Quælibet tribus (*Φυλή*) in tres curias, (*Φρατρίαις*) curia quælibet in triginta gentes (*γένν*) seu familias divisa erat. Vid. *Anonym. Miscell. defens. pro Salmaf. de var. Observ. ad jus Attic. Cap. IV.* Præter illam per tribus & curias divisionem, alia quoque eo tempore obtinebat per populos, (*δήμοις*) quæ magis ad retinendam discessus è nobi-

bilioribus pagis atque vicis memoriam, quam ad alias ipsi Reipublicæ proprias rationes viderur valuiffe. *Vid. id. ib.* Postquam autem ad Rempublicam denuo formandam accessit Solon, retenta populi divisione, qualem diximus, juxta censum quoque in alias *quatuor classis* eundem distribuit. Qui aridorum aut liquidorum è fundis provenientium fructuum mensuras annuas haberent, quingentas, trecentas, aut ducentas, illi primum, secundum, tertiumque ordinem constituebant, solique gerendo magistratui apti erant. Quartam classem tenuioris fortunæ homines replebant, qui tamen ad judicia & conciones, in quibus de actis senatus judicari, leges veteres recognosci, novæ si res posceret ferri, bella decerni, pax constitui, Magistratus creari, fœdera ferri, legationes mitti, atque alia omnia ad summam rerum facientia peragi debebant, una cum reliquis admittebantur. Deinde tamen & illud quod inter jura classium harum erat discrimen sublatum, quartæque classis jus cum cæteris per omnia æquatum fuit. *Vid. Plutarch. in Aristid. Conf. Aristot. Polit. Lib. II. Cap. 10.* & qui accuratissime statum patriæ perspectum habuit, *Xenoph. de Republ. Atheniens.* Ex quibus omnibus judicari haud difficulter potest, quid pro laudato nobilitatis instituto ex Reipublicæ Atticæ conditione exempli atque præsidii arcessi queat.

§. XVI.

Eodem ferè sed dispari ratione res recidit cum *Republ. Lacedæmoniorum.* Qui enim in ea Reges erant, genere Hercules prognati, solum nomen regium habebant,

bant, nulla regni potestate instructi, quin potius ad reddendas populo rerum gestarum rationes adstricti nec supplicii metu ubi peccassent soluti. Senatuum Regibus adjunctum constituebant viri ætate sexagenaria majori graves, virtuteque & prudentia insignes, quorum designandorum concilio plebis quod ἐκκλησίαν vocabant jus competebat. Idem populi concilium Ephoros quoque, qui auctoritatem & Regibus & Senatui oppositam habebant, sine ullo generis opumve discrimine creabat, factumque sæpius est, ut infimæ sortis homines, qui acri essent ingenio, & eloquentia pollerent, ad illud fastigium eveherentur. Plebs ipsa in sex tribus (Φυλὰς) & quælibet iterum tribus in quinque ὀβείας, quod qua Latina voce reddendum sit ignoratur, divisa erat. Varias illarum tribuum subdivisiones, in νόμους, λόγους &c. erudite commemorat Cragius de Re-
publ. Lacedæm. sed quæ solum usum habebant militarem, vix ullo civilis juris discrimine exstante. Inter cives enim ipsos ne quid esset inæqualitatis, avitas divitum possessiones Lycurgus moverat, & cum tenuioribus ita accurate communicarat, ut in æquales partes agri distributi forte etiam assignarentur. Nec sortes majores erant, quam quæ alendæ modicæ parcæque familiæ sufficere possent, quas sortes augeri, minui, dividi, venundari, permutari vetitum omnino erat. Ad hæc durissimo vitæ genere omnes promiscue cives utebantur, communes vicinis cœnæ erant, auri argentiq; usus & reliqua discriminando mortalium generi inventa exulabant. Vid. Plutarch. in Lycurg. & Instit. Lacon. Aristot. Polit. Lib. II. Cap. 7. Just. Lib. III. Cap. 3. Hæc inter

ter se conjuncta atque comparata si persuadere cuiquam possunt, ut genuinae nobilitatis institutum in ea Republica viguisse putet, eum nos certe non infelicem arbitrabimur, qui somniare quod velit possit.

§. XVII.

Opportunum hic fuerit, verbo quoque *Macedoniam* tetigisse, cujus ea Imperii forma fuit, ut velut inter regnum plenum, quale in Persia fuisse diximus, & inter merum Principatum, qui vigeat Lacedaemone, interjecta existimeretur. Vid. *Grot. de J. B. & P. Libr. I. cap. 3. §. 20. num. 1. & 4.* Quae à Grotio d. l. collectae exstant, eò tantum valent, ut aut cum ipso mixtam regni Macedonici formam, aut cum accuratius loquentibus certis legibus fundamentalibus restrictum Macedoniae Regis imperium putemus fuisse, nequidquam vero, quis populi Macedonici in se spectati Regibusque oppositi status fuerit inde demonstratur. Quaecumque enim de Jure populi hic jactantur, aut generatim ad nomen Macedonicum referuntur, aut certe ad plebem magis inclinant. Sic Curtius *Libr. VI. Cap. 8.* de capitalibus rebus dicit, vetusto Macedonum more inquisivisse exercitum belli tempore, sed in pace vulgus, nec ad civem damnandum potestatem regiam quidquam valuisse, ni populi prius valuisset autoritas. Cum quo consentanea planè sunt Justinii verba *Libr. XIV. Cap. 6. num. 6.* quibus vocatum à Cassiodoro inconcionem populum, quid de Olympiade fieri vellet, rogatum, tandemque ejus judicio Reginam capitis damnatam memorat. Sic quoque Corn. Nep. in *Eumene* Cap.

Cap.
suffr
locu
speci
idem
orass
ne ip
pro
cturo
ter a
Regib
cedo
seua
certo
rit ig

I
cong
bilita
decla
est ac
ment
Scilic
cond
pulu
mò q
multi
ris re
perfu



Cap. V. num. 1. Eumenem dicit, exercitu Macedonum suffragia ferente capitis damnatum. Eodem pertinet locus Polybii *Lib. V. Cap. 27.* quo memorat, cetratos sub specie officii à Leontio ductore suo semotos, cum idem in vincula esset coniectus, legatis missis Regem orasse, si ob causam à sponsione alienam id factum esset, ne ipsis absentibus de ipso durius statueretur, alioquin pro ingenti contumelia Philippi (*Regis*) factum seducturos atque omninò haud probaturos. Cui notanter addit Polybius: *Sic enim Macedones equo jure cum suis Regibus ab antiquo uti poterant* Ut ergo apparet per Macedones, quorum mentio ubivis fit, nil nisi promissa illius populi multitudo intelligitur, quæ num incertos ordines, qualis in nobilitate est, digestus fuerit ignoratur.

§. XVIII.

Postquam itaq; quantum loco atque instituto huic congruit, nullam ante Romanos atque Germanos nobilitatem in usu gentium fuisse demonstravimus, ad declarandam Nobilitatis Romanæ indolem propius est accedendum, cujus constitutæ initia atque fundamenta Historiæ illius scriptores accuratè pandunt. Scilicet, cum Romulus undecunque natus consilium condendæ urbis fundandique Imperii cepisset, ut populum sibi suum faceret, variis modis allaboravit. Primò quidem abundans Albanorum atque Latinorum multitudo, qua levare civitatem novo fortè Numitoris regno expedire videbatur, jussu publico, an blandis persuasionibus inducta huc concessit. vid. *Livius Lib. II.*
Cap.

Cap. 1. Deinde in partes facile pertracta pastorum manus, quæ Romulus pro pastoris filio educatus familiariter uti, quibuscum discurrere, venari, depradari latrones à puero allueverat, quos denique primæ expeditionis Albanæ socios fidos & reigerendæ habuerat non ineptos. Cum ille numerus exiguus videretur, in mentem venit de constituendo asylo, quo iniqua hic illic fortuna pressi, aut rerum novarum cupidum, obæratum, nexi, servi, exules & quicquid præterea facinorosorum hominum erat, velut in locum tutum se reciperent. Non caruit res successu sed brevi tempore Romam ingenti hominum multitudine replevit, quam ut iniusti populi formam Romulus redigeret, sequentem in modum rem aggressus est. Ante omnia sibi in eandem Imperium adscripsit sed mite atque moderatum, quod magis autoritate suadendi, quam iubendi potestate niteretur, quod & ipsum hæreditarium non esset, sed prævio Interregno libera civium electione conferretur. Deinde inter subditos ætatis ratione habita, juventutem bellicam in militares ordines distribuit, & ex delectu eorum constituit legionem, ex togatis vero & senioribus delegit centum præstantissimos existimatione & virtute viros, quæ legum custodiam & publici consilii decus senatorio nomine committeret, reliquos advenas convenas promiscuo plebis nomine contineri voluit. Senatoribus Patrum nomen inditum, seu quod ætati ipsorum non alia appellatio magis conveniret, seu ut blandiori vocabulo adhibito gratam plebi novellam dignitatem redderet, & de præstanda eidem reverentia, sed & agnoscendo Regis à patre

patre
quod
patre
regel
solum
conv
stero
id est
furi e
prog
ræ fi
stitue
cessu
tur,
rent
confe
Diony
Publi
ait, f
missos
ingen
tem
finiti
nomin
(quo
servit
ter se
gentil
gentil
ut fac

patre discrimine malè memores moneret, seu deniq̄
 quod simplicissimum videtur, quod plerique eorum
 patres erant, & asportatas Albâ Lavinioque familias
 regebant. Atque illorum dignitatem Romulus non
 solum perpetuam esse voluit, id quod naturæ nominis
 conveniebat, sed & hæreditario jure pertinere ad po-
 steros, qui proinde *Patricii* dicti, partim quod Patrum
 id est Senatorum liberi in locum & jura eorum succes-
 suri essent, partim etiam quod legitimo matrimonio
 prognati ceteri patres possent, cum reliqui omnes ter-
 ræ filii essent, & uxoribus, quas deinde rapuerunt, de-
 stituerentur. Atque inde consuetudinem veteres ar-
 cessunt, quod quoties à Regibus *Patricii* convocaren-
 tur, *Praecones* suo quemque & paterno nomine cie-
 rent, *plebejos* vero ministri publici cornibus bubulis
 confertim buccinantes in concionem excitarent. vid.
Dionys. Halicarn. Lib. II. cap. 8. Disertius idem proficitur.
Publius Decius apud Livium Lib. X. cap. 8. An unquam
ait, fando audivistis, Patricios primò esse factos non de caelo di-
missos, sed qui patrem ceteri possent, id est, nihil ultra quam
ingenuos. Hinc quoque est, quod *Patricii* sibi solis gen-
 tem esse jactarent, se solos vocarent gentiles, juxta de-
 finitionem illam *Ciceronis in Top. Qui inter se eodem*
nomine sunt ab ingenuis oriundi, quorum majorum nemo
(quoad scilicet in memoria urbis conditæ ascenditur)
servitutem servierit. & *Boëtius: Gentiles sunt, qui eodem in-*
ter se nomine sunt, ut Bruti, Scipiones, quod si servi sunt, nulla
gentilitas esse potest, quoniam ab ingenuorum antiquitate
gentilitas ducitur. Jura itaque ingenuorum hæc erant,
 ut sacra curarent, Magistratus gererent, jus redderent,

E

cum

cum Rege Rempublicam administrarent, res urbanas obirent, *Dionys. Halic. loco cit. Cap. IX.* verbo, ut proximum à Rege locum tenentes omnia civitatis munia gererent exclusa plebe. Competebat quoque Patriciis vocabulum *Patronorum*, optione plebejis data, ut quem quisque vellet, defensorem sibi & assertorem privatae quietis eligeret, quo nomine iterum patroni clientum officii fruebantur. Peculiaria quoque patricii ordinis insignia efficta, ut veste purpurea atque prætextata soli uterentur, ut bullam in pectore, in pedibus lunulas gestarent, quarum expressa similitudine centenarius Patrum numerus designaretur. Sed & idem eorum numerus variè deinceps auctus fuit, aliis post alios supplendo ordini ascitis, unde qui Patres primo tantum, deinde *Patres Conscripti* vocabantur, quod ipsum successu temporis in causa fuit, ut Patriciorum numerus latissimè diffunderetur.

§. XIX.

Erat ergo ex ipsa Reipublicæ Romanæ constitutione ordo Patrum atque Patritiorum à plebe distinctissimus, cui vulgo & ex communi civitatis usu Nobilitatis vocabulum tribuebatur. Sic legati Tarquiniorum dicuntur *Nobilium adolescentum animos ad amplectendam seditionis consilia pertentasse* apud Liv. Dec. I. Lib. II. Cap. 3. quos Vitellios Brutosque id est Patricios fuisse deinceps memoratur. Et Lib. II. Cap. 27. Cum Servilius Consul obærat is plebe faveret, *in alteram inquit partem non Collega solum (Appius Claudius) præcepit ierari, sed omnis factio Nobilium, ita medium se gerendo (Servilius) nec plebis vitæ*

vitabit odium nec apud Patres gratiam inuit. Idem Lib.
 II. Cap. 37. Decemviri ait, qui primò tribunitios homines ostentaverant plebi, patriciis juvenibus sepsierant latera - - -
 - - - - - hac mercede corrupta Nobilis juvenus, non modo non ire obviam injuria, sed propalam licentiam suam malle quam libertatem omnium. Lib. IV. Cap. 48. cum rogationem Tribuni promulgassent, ut ager ex hostibus captus viritim divideretur, magnaꝝ partis nobilium eo plebiscito publicarentur fortune, atrox plebi patribusque propositum videbatur certamen. Lib. II. Cap. 51. Tunc hæc ipsa indignitas augebat animos, non in retinendis modo publicis agris, quos vi teneret, pertinacem nobilitatem esse, sed ne vacuum quidem agrum nuper ex hostibus captum plebi dividere Lib. VI. Cap. 5. Tribuni plebis criminabantur multo infestiores agros esse à nobilitate, quam à Volscis fuerint. - - - - - Nobiles homines in possessionem agri publici grassari, nec nisi antequam omnia precipiant, divisus sit, locum ibi plebi fore. Lib. VI. Cap. 35. plebs queritur repleti vinctis nobiles domos & ubicunque Patricius habitet ibi carcerem privatum esse. Cap. 42. Comitia Consulium adversa nobilitate habita, quibus L. Sextius de plebe primus Consul factus, & ne is quidem finis certaminum fuit, quia Patricii se autores futuros negabant, tandem per Dictatorem conditionibus sedata discordia sunt concessumꝝ à nobilitate plebi de consulatu plebejo, à plebe nobilitati de Pratore uno qui ius in urbe diceret è Patribus creando Lib. VIII. cap. 8. tres leges secundissimas plebi adversas nobilitati tulit, unam ut plebiscita omnes Quirites tenerent (quo nomine

mine comprehendebantur *Patres*) alteram ut legum
 qua comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium
patres autores fierent, tertiam, ut alter utique ex plebe
 censor crearetur. Lib. X. Cap. 15. circumscire sellam omnis
 nobilitas, orare ut ex cano plebejo consulatum extraheret, ma-
 jestatemque pristinam tum honori tum patriciis gentibus red-
 deret. Quæ omnia nomen Patriciorum cum Nobilitate
 converti & plebejo ordini opponi satis indicant.

§. XX.

Nec solum distinctionem illam ordinis nobilium
 atque plebejorum Romana Historia agnoscit, sed &
 præcipuam illi dignitatem tribuit. Juvat hic iterum
 audire Principem Historiæ Romanæ Livium Lib. II.
 Cap. 56. Huic inquit actioni gratissimæ plebi, cum summa
 vi resisterent *Patres*, nec qua una vis ad resistendum erat, ut
 intercederet aliquis e Collegio, autoritate aut Consulum aut
Principum adduci posset. Et Lib. III. Cap. 68. Quintius
 Patritius plebem ita alloquitur: ubi hic curiam circumse-
 deritis, & forum infestum feceritis, & carcerem impleveritis
Principibus, hisdem istis ferocibus animis egredimini extra
 portam - - - - - Tribuni vobis amissa restituent? vocis
 verborumque quantum voletis ingerent, & criminum in-
Principes, & legum aliarum. Lib. V. Cap. 41. ubi eos
 plebis adificiis obseratis, patentibus atris principum major
 prope cunctatio tenebat aperta quam clausa invadendi. Et
 Lib. VI. Cap. 11. Seditio orta est unde minime timeri potuit, à
Patriciæ gentis viro, Marco Manlio, qui nimius animis cum aliis
 Prin-

Principes sperneret, uni invideret eximio simul honoribus & virtutibus Marco Furio. Atqui Manlius iste plebi se adjungens adversus Patres patriciosque grassabatur. Pari autem ratione, qua voce Principum à plebe nobiles se jungebantur, ipsi quoque specialius discrimen inter se constituebant, ut vel novis hominibus, vel recentiorum patrum posteris, antiquiores oppositi, aut denique illi qui primò nobilitatem familiæ intulissent nomen illud obtinerent. Sic apud eundem Livium *Lib. III. Cap. 17.* Publius Valerius promittit, *ausurum se in Tribunis, quod Princeps familiæ suæ in Reges ausus esset, & Publius Decius Appio Claudio objicit, quod Sabinum advenam Principem Nobilitatis ejus, antiqui illi Patricii in numerum suum receperint.* Et *Libr. IV. cap. 48.* facillè dicuntur, *novi homines auctoritate Principum de sententiâ deduci.* Quo simulacro usus Augustus cum fine nomine dignitatem regiam affectaret, non alio quam Principis i. e. Primarii nobilis titulo salutari voluit.

§. XXI.

Atque illam eximiam sui ordinis dignitatem facile Nobilitas retinuit, quoad antiqua Reipublicæ forma perstaret, in qua Reges utramque sibi oppositam partem justis suis momentis librare non negligebant, nec unquam passuri videbantur, ut aut à Nobilitate plebs aut à plebe nobilitas opprimeretur. Nec itaque nobiles tentare aliquid in plebem audebant, ne plebs nobilitati per se infesta ad regias adacta partes interitum ipsis acceleraret. Nec plebi temere in mentem venire poterat,

terat, ut regiae potestatis repagula suae propugnacula libertatis demoliretur. At postquam Tarquinius obtentu criminis à filio perpetrati, regno à nobilitate, pulsus, regnumque ipsum abrogatum fuit, haud quidem obscure id agebant Patres ut nomen Imperii penes plebem, vis ipsa ejusdem penes nobilitatem esset, quod & plebs variis blanditiis dementata facile admisit. Sed cum Patres scopum quaesitae dominationis praematurè sibi viderentur assecuti, & immite in plebem Imperium, exercerent, occasio illi enata fuit, in dubium jura, illa jactata tantopere nobilitatis revocandi. Ad solam auctoritatem Regum, quae ea civilis ordinis ratio placuisset, provocare tutum amplius non erat. Quicquid enim fecissent Reges, id ipsi Patres invisum plebi reddiderant, nec jure regni constituta, abolito nunc Regno, obligare amplius plebem videbantur. Reliquum ergo erat ut praesidio legis depulsi ad ratiocinia quae semper Nobilitati obsisterunt Patricii confugerent, & perpetuae aliquid causae, quod constitutioni regiae inesset, comminiscerentur.

§. XXII.

Placuit primò insistere dignitati generis. At eam plebeji, ut supra dictum est, ostendebant, in sola quondam ingenuitate repositam fuisse, qua nunc amplius Patres cenferi non possint, cum tanto temporis tractu labes illa, si quae in majoribus plebis fuerit, dubiae aut obscurae originis exolevisset, ut non minus ingenui nunc sint plebeji quam nobiles (Vid. omnino Liv. L. III. cap. 57. de Virginii filia, quam simul *plebejam* & in-

ingenuam appellat, Conf. Institut. Lib. I. Cap. 4. in.) cum pauci ex genere eorum, qui in prima regni fundatione dignationem Patrum acceperant, superessent, in quorum locum plebeji sint asciti, Vid. Liv. Lib. IV. Cap. 4. cum plebejorum etiam multi honesta cum patriciis matrimonia iniissent, sparsisque inde affinitatibus & cognationibus patricii generis continerentur. Vid. Liv. Lib. VI. Cap. 34. Perstabat tamen in sententia Senatus, & ut in posterum saltem dignationem illam generi conciliaret, lege lata, connubia illa, quæ inter patres atque plebem vulgari cœperant, prohibere conabatur. Ast contra tendebat Tribunus Plebis Canulejus nec desisteat prius quam promiscua utriusque partis connubia concederentur.

§. XXIII.

Huc ergo compulsi Patres negabant in sola generis dignitate nobilitatis suæ fundamentum repositum esse, sed idem potius in præcipuis juribus ordini suo ex ipsa status Romani constitutione competentibus delitescere, quo nomine honores, magistratus atque munia omnia Reipublicæ à solis Patriciis gerenda designabant. Id quod timide primo eloquebantur. Nam & Tribunos suos jam plebs habebat, non minori in plebem jure, quam quo in senatum Consules pollebant, instructos, nec ipsa Consulium dignitas aliunde, quam à concessione plebis, post Reges expulsos arcessi poterat, quæ ad solos Patricios publica partium conventionem non erat restricta. Ut adeo magis patiente quam probante plebe soli patricii consularum gere-

gererent, sed ad quem paulo post Tribuni quoq; aspirare
 ceperunt. Tum vero Patricii pro clypeo religionem ob-
 jiciebant, & ad auspicia suo ordini propria confugiebant,
 quam rem accerrimè urget Appius apud Liv. *Lib. VI.*
cap. 41. *Auspiciis inquit hanc urbem conditam esse, auspici-*
is bello ac pace domi militiæq; omnia geri, quis est qui ignoret?
penes quos igitur sunt auspicia more majorum? nempe penes
Patres. Nam plebejus quidem Magistratus nullus auspiciato
 creatur, nobis adeò propria sunt auspicia, ut non solum
 quos populus creat patricios Magistratus, non aliter quam auspi-
 cato creet, sed nos quoque ipsi sine suffragio populi auspiciato in-
 terregem prodamus, & privatim auspicia habeamus, qua ipsi ne
 in magistratibus quidem habent - - - Eludant nunc licet
 religiones, quid enim est, si pulli non pascentur, si ex cavea
 tardius exierint, si occiderit avis? Parva sunt hæc, sed parva
 ista non contemnendo, majores nostri maximam rem fecerunt.
 Nunc nos tanquam jam nihil pace Deorum opus sit, omnes ce-
 remonias polluimus, vulgò pontifices, augures, sacrificuli Reges
 creentur, cuilibet apicem dialem, dummodo homo sit, imponamus,
 tradamus ancilia, penetralia, DEOS Deorumq; curam, quibus
 nefas est, non leges auspiciato ferantur, non magistratus creentur,
 nec curiatis comitiis patres autores fiant &c. Ut ergo ap-
 paret, non solum publicam Religionis Romanæ procura-
 tionem Patricii sibi vindicabant, sed & quod porro con-
 stat, institutis gentilitiis sacris peculiarem ordini suo san-
 ctimoniam circumponere aggrediebantur, ut adeo hac
 via soli eminentioribus in Republ. muniis, belli pacis-
 que tempore præficiendi putarentur. Id autem plebe-
 ji sentientes, magis magisq; concitabantur pro summa
 idem contumelia interpretantes, quod velut Dis invisi
 auspi-

aufpi-
 turi,
 relig
 IV. c
 Patr
 quan
 tere
 fine
 civit
 viris
 tate
 cem
 Lib. I
 tent
 conf
 plebe
 cont
 nom
 37. Li
 to in
 um a
 r/s f
 cap.
 annor
 sint,
 bejos
 telo

auspicari non posse, quod suas preces Dii minus audiri, quod sacra sua privata castius facere patricii, & religiosius à nobilibus numina coli, dicerentur Liv. *Lib. IV. Cap. 6.* nec ultraferendum Tribuni dicitabant, ut soli Patres imperarent, plebs sola pareret, nec alio jure quam defensionis adversus Patrum injurias faciendæ uteretur Vid. Liv. *Lib. VI. cap. 37.* Negabant id illi cum sine abrogati regni consistere posse, tum demum unam civitatem futuram clamantes, *si spes, si aditus ad honores viris strenuis & fortibus daretur, si in consortio, si in societate Republica omnes essent, si quod equæ libertatis sit invidiam annuis magistratibus parere atque imperitare liceret,* Liv. *Lib. IV. cap. 5.* Id quod tandem etiam per partes obtentum, primò quidem, ut communis cum plebe consulatus esset, deinde etiam ut augures & pontifices plebeji crearentur. Vid. Liv. *Lib. IV. & X.* Nec quidem contenta plebs habere rem ipsam, nobilitatis quoque nomen sibi vindicabat. Sic apud Livium *Lib. VI. cap. 37.* Licinius ominari non dubitabat *Consulatu plebi questito in plebem ventura omnia, quibus Patricii excellent, Imperium atq; honorem, gloriam belli, genus, nobilitatem, magna ipsiis fruenda, majora liberis relinquenda.* Et ibidem *Lib. X. cap. 7.* Publius Decius Mus numerari jubet *Duces eorum annorum, quibus plebejorum ductu & auspicio res geri cæptæ sint, numerari triumphos, jam ne nobilitatis quidem suæ plebejos pœnitere.*

§. XXV.

Hoc quoque certamine victi Patricii novo iterum telo pro afferendo sibi nobilitatis statu utebantur, hoc
F nini-

nimirum, ut quos de plebe Collegas in officiis agnoscere cogebantur, *novos homines* vocarent, plebejisque familiis quod pro magno earum numero vix unum, aut alterum insignem honoribus & rebus gestis virum quæque earum ostendere posset, objiciebant, cum ipsi amplissimum suorum majorum numerum inirent, qui dictatorii, consulares, triumphales, censorii, prætorii fuissent. Eorum imagines humerotenus orbiculari figura in clypei speciem pictas aut expressas in atrio disponere, in pompa funebri circumferre, ad eas subinde provocare, adeoque perpetua virtutis successione gloriari non intermittebant. Hinc Appius Claudius, *honoratissime vir imaginis* vocatur Liv. Lib. III. Cap. 58. Ovid. in *Carm. ad Pison.*

*Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
Atria? quid pleni numerofo Consule fasti.
Proficerent? si vita labat, perit omnis in illa
Gentis honos, cujus laus est in origine sola.*

Plinius *Hist. Nat. Lib. 35. Cap. 2.* expressi inquit, *cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines quæ committarentur gentilitia funera, semperque defuncto aliquo totus aderat familia ejus qui unquam fuerat populus.* Atque iis majorum imaginibus universa simul Genealogia familiæ adjiciebatur, quod verbis sequentibus Plinius innuit. *Stemmata vero lineis discurrebant ad imagines pictas.* Quo alludit Persius, *Satyr. III.*

- - - - *An deceat pulmonem rumpere ventis
Stemmata quod Thufco ramum millesimo ducis?*

Eo-

Eodem pertinet Juvenalis illud, *Sat.* III.

*Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri? pietosque offendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Amilianos?*

Conf. Tacit. *Annal.* Lib. III. Cap. 76. Hac autem in re plus
sæpe ostentationi quam veritati datum fuisse, ingenue
Livius confitetur: *Vitiatam* inquit *memoriam funebribus
laudibus reor, falsisque imaginum Titulis, dum familia ad se
queque famam rerum gestarum honorumque fallente mendacio
trahunt, inde certa & singulorum gesta, & publica monumen-
ta rerum confusa, nec quisquam æquatis temporibus illis scri-
ptor extat, quo satis certo autore stetur.* Lib. VIII. Cap. 40.
Quod ipsum false Patriciis plebeji exprobrabant, & ad-
versus antiquitatem imaginum recentibus suis meri-
tis facile semet tuebantur. Sic Cicero *Orat. in Pisonem:*
*Obrepisti, inquit ad honores, errore hominum, commendatione
fumosarum imaginum, quarum simile habes nihil præter colo-
rem.* Vid. quæ flagrantissime declamat Marius, apud
Sallust. Bell. Jugurth. Cap. 85. A convitiis autem & inse-
ctationibus re iterum in controversiam deducta, jus
quoque imaginum concessum plebi, & inter ordinaria
magistratuum ornamenta, qualis toga prætexta, cu-
rulis sella &c. erat, Cicerone teste, relatum fuit. Qui
tamen familiæ suæ imagines inferuerat, nil aliud fecis-
se putandus est, quam ut in funere suo atque Gentili-
um suorum imago ipsius efferretur, non ut omnium
ejus posterorum imagines quoque portarentur, sed eo-
rum tantum qui simile jus adepti erant. Cum itaque
solus imaginum numerus nobiles plebejasque familias

distingueret, actum paulatim de Nobilitate Romana erat, nec successu temporis majorem illæ usum habebant, quam quod in ambitum adductis majorum meritis aliquanto facilius posteris ad honores aditus panderetur.

§. XXV.

Antequam argumentum illud de nobilitate Romana per statum urbis Democraticum oppressa relinquamus, monenda circa eandem sequentia sunt. Primo quidem, quod dignitas illa quoad floruit, mœnia solita, adeo ut ne capita quidem aut membra præcipua alienæ Reipublicæ, eodem fere apud suos honoris gradu ornata, nobiles sine addito appellarentur. Ita Cicero III. *Verrina*, *Ignem inquit ex lignis viridibus atq; humidis in loco angusto fieri jussit ibi (Senatorem Sicyonium) hominem ingenuum Domi nobilem populi Romani socium atq; amicum fumo excruciatum semivivum reliquit. Idem Verrin. IV. Heraclius est Hieronis Filius Syracusanus, homo in primis domi suæ nobilis. Verrin. V. Pillenus Herbitensis homo dicitur disertus & prudens & domi nobilis, itemque Verrin. VI. Diodorus Melitenensis, homo domi nobilis vocatur, & apud eos quo se contulerit splendidus. Quorum verborum manifestus sensus ille est, Diodorum hunc in Patria quidem iisdem fere honoribus functum, eodem jure præditum, quod Romæ nobiles habeant, fuisse, interim Romæ quantumvis splendidum virum nobilem haud appellari. Secus ac moribus nostris fieri videmus, queis*

queis nobilitatis prærogativa ubivis valet & communi gentium pretio æstimatur. Non vero putamus in causâ factum fuisse, ut tale inter nobilitatem domesticam & externam discrimen Romani constituerent, sed quod alibi vera nobilitas cum Romano instituto per omnia consentiens non daretur, unde analogica quâdam ratione nobiles exteri, nec tamen sine monito peregrini moris, appellabantur.

§. XXVI.

Deinde quanquam totius Reipublicæ Romanæ basis in bello collocata videatur, ad specialia tamen illius instituta bellica nobilitas referri nequit. Sed erat illa dignitas senatoria & togata, ad ordinarium Reipublicæ statum, qui in pace consistit, restricta, & quanquam Patricii ordinis plerique militiæ nomen darent, non magis tamen illi quam reliqua multitudo omnis militare cogebatur. Quamobrem graviter errant qui ad Germanicos mores Romanos exigunt, & quicquid de Imperatoribus Ducibusque nostris memoratur, audito nomine confestim ad statum nobilitatis Romanæ referendum putant. *Duces* enim hic non erant, nisi bellici, nec dignitas illa sed militare munus erat, quo centuriones omnes atque tribuni perfungebantur. Ast *Imperator* Princeps Ducum erat, & quam illi in manipulis atque legionibus habebant potestatem, in universum agmen civium, sociorum, equitum peditumve exercebat. Quæ omnia male cum senatoria Romanæ urbis dignitate consentiunt. Nec accuratius est, quod de *Equitibus* Romanis nonnulli ad ordinem

equestrem, nobilitatis Germanicæ potissimam partem, colligunt. Constat enim Servium Tullium cum censum Romæ ageret, pro certo facultatum modo equites constituisse. Dicebantur illi à re ipsa, quod equis publicis id est publica pecunia emptis publiceq; sustentatis mererent. Nec tamen insolens fuit, ut quibus census equestris aut equus assignatus non esset, suis equis stipendia facerent æraq; mererent. Vid. *Lips. de Milit. Roman. Lib. I. Dialog. V.* Cum ergo solarum facultatum ratio hic haberetur, non magis patricii quam plebeji equitabant, iidemq; pacis tempore negotiatores atque publicani erant, qui cum autoritate Grachorum judicia etiam Senatui adempta, nanciscerentur, sœnore atque quæstu provincias exhaurire & interceptis vectigalibus suo velut jure depeculari Rempublicam videbantur. Vid. *Florus Lib. III. Cap. 12. 13. cum notis Freinshem. Conf. Lib. III. Cap. 17.* ubi addit, *divulsam hoc ipso à Senatu equitem, divisamque populum Romanum, bicipitemque ex una civitate factam.* i. e. distinctum à nobilitate & plebe ordinem equites constituisse. Quod & agnoscit Aufonius in illo:

Martia Roma triplex equitatu, plebe, Senatu.

Conf. omnino *Plin. Lib. XXXIII.*

§. XXVII.

Atque illa omnia de Republica Romana obtinebant, quoad libera erat, ast deinde Cæsaribus subiecta plane aliam hac quoque in re formam induit. Hi enim velut agitata inter Patres plebemque controversiæ sequestres, ut ad se ex utraque parte omnia raperent, de

de obliterando ipso nobilitatis nomine mature cogitabant. Quo tempore quoque gradu tentatum idem atque perfectum fit, satis quidem accurate non constat, id scimus paulatim solis Imperatoribus aut qui Cæsareæ dignitatis participes essent *Nobilissimorum* atque *Nobilium* inditam esse appellationem, uti Herodianus *Commodum Imperatorem Nobilissimum appellat* & Licinius Valerianus in marmore Vindobonens. Carinusq; & Numerianus filii ejusdem in aliis vetustis monumentis *Nobilissimi Casares* vocantur. Severus & Maximin. L. 1. C. de fer. post hos Gratianus & Valentinianus adhuc infantes *nobiles pueri* sunt vocati in L. 2. de Magistr. Municip. L. 5. C. de fer. & Justinianus designatus Imperii successor *Nobilissimus* à Justino appellatus est teste Zonar. Senatus vero Romanus *Clarissimorum Virorum* nomen obtinuit, cujus rei in vita Tiberii vestigia jam extant, cum qui eo tempore floruit, Cajus Cass. Longinus *Lib. II. §. penult. de Orig. Jur.* claras personas Senatorum uxores aut filias appellet. Ælius Marcianus qui sub Antonino Pio floruit, *de his qui sunt sui vel alieni juris Senatores clarissimos viros* dicit & Ulpian. *L. Fœmine VIII. de Senatoribus, clarissimarum* inquit *fœminarum nomine Senatorum filias non haberi nisi clarissimos viros sortita sint. Tam diu enim ait clarissimâ fœmina erit, quam diu Senatori nupta est vel clarissimo.* Nec soli Senatores, sed & Consules qui Senatui præerant, dignitate illa Clarissimatus contenti esse cogebantur. Ita enim Fl. Vopiscus *in Aurelian. Cap. XVIII. Libet* inquit *ipsius Senatus Consulti formam exponere, quo libros inspici clarissimorum jussit autoritas.* Et disertius *Plin. Lib. VII. Epist. ultim.* inter solemnia honoris ver-

verba *Consules Clarissimos* appellat. Deinde tamen mos obtinuit, ut Consules & quicumq; præterea de Senatu, ut Spartianus in Hadrian. loquitur in contubernium Imperatoriæ Majestatis adsciti erant, quos novo instituto *Patricios* ideo quod *Patri Patriæ consulerent* & vice ejusdem essent, appellari placuit. vid. Tac. Annal. Lib. XI. Cap. 25. & L. ult. Cod. de Conf. *Illustrium* seu *Magnificorum*, Senatores clarissimorum virorum nomine salutarentur. Additus demum medius inter illustres atq; clarissimos ordo *Spectabilium*, qui tamen cum prioribus duobus, ut ipsi inter se variabant, variè confusus deprehenditur. Reliqui omnes extra Senatum constituti honoratiores viri *Egregii* atque *Perfectissimi* dicebantur. Ast tituli illi solis Senatoribus atque civibus Romanis proprii non erant, sed ad aulicos quoque ac militares homines instituta dignitatum atque officiorum comparatione pertinebant. Quare porro qui exercitui jussu Cæsarum præerant, nomine Imperatorum abolito, *duces* appellati fuerint, uti patet ex L. 5. ff. de Pact. *Publica conventio est, quæ fit per pacem, quoties inter se duces belli quædam paciscuntur*, & L. 2. in princ. de his qui not. infam. Si *Dux, cum exercitui præest, dimissus erit notatur*, in promptu ratio est, cum Imperatorum nomen Cæsaribus ipsis sacrum esset. Deinde Ducum nomen ad Præfectos limitum pertransiit, in quibus adversus barbaras gentes dispositæ legiones erant. Tacit. Hist. Lib. II. cap. 94. *Postulantur ad supplicium Asiaticus & Flavinus & Rufinus Duces Galliarum*. Vopisc. in Aurel. Cap. 13. *asidente Avulvio Saturnino Scythici limitis Duce, Julio Tryphone Orientalis limitis Duce, Ulpio Crinito Duce Illyriciani limitis & Thraci*

cii & Fulvio Bojo, Duce Rhatici limitis. Erat & in usu vocabulum Ducatus, quod vero non ipsius provinciae, sed obeundi in eadem officii nomen erat, ad quod è Tribunatu proximus dabatur accessus. *Spartian. in Pescenn. Cap. 4. Pescennium fortem virum novi & Tribunatus jam duos dedi Ducatum mox dabo. Conf. Lamprid. in Alexandr. Cap. 2. & Vopisc. in Aurelian. Cap. X.* Qui ergo Ducatum habebant, nonnunquam quidem inter Clarissimos pleurumque tamen inter Spectabiles referebantur. *Comitum* quoque deinceps vocabulum enatum, variique eorum constituti gradus, quorum infimus ad Perfectissimos, medius ad Clarissimos, & partim Illustres relatus, primus autem altior Spectabili sed inferior Illustri fuit. Erat autem dignitas illa partim aulica *Lamprid. in Alex. Sev. Cap. 15. Purgavit palatium comitatumque suum omnem, abjectis ex aulico ministerio cunctis &c.* partim militaris, quæ & in Duces limitaneos conferretur, qui eam ob causam Comites per Provinciam appellabantur. Quo sensu acceptus Comitatus antiquam illam legatorum dignitatem exprimere videtur. Quæ deinde hujus quoque nominis factæ mutationes fuerint, commemorare nunc nihil attinet. Vid. ista omnia latius persequentem *Notitiam Imperii* quæ quinto Seculo, quo in Imperii Romani fines irruptionem fecerunt Germani, scripta creditur quam cum animadversionibus edidit doctissimus Pancirollus.

§. XXVIII.

Inter tot novarum dignitatum nomina rarò quidem Vocabulum Nobilitatis emicuit, quod tamen sub-
G
inde

inde Illustribus Spectabilibus & Clarissimis leges tribuunt Vid. L. *ultim. §. Sin autem Testam. C. de Cur. Fur. L. Nimum C. de testam. &c.* Quæ ratio est quare jura quæ iisdem indulta ab Imperatoribus sunt, ad Nobilitatem vulgo referantur. Collegit ea præcipuo inter multos studio Tiraquellus & potissima quidem hæc enumerat: *quod ratione causarum civilium atq; criminalium per procuratorem nobiles agere, testimonia domi dicere, majoremq; illata injuria reparationem quam plebeji exigere possint, quod scripto citari, aut evocati ad iter pedibus faciendum non adigi, quod delinquentes mitius puniri, nec tortura, conjectione in carcerem, ob debita civilia, palinodia plebejo prestanda, itemque certo suppliciorum genere tolerando onerari haud debeant, quod nobili plebejam ducenti, dos major attribui, quod alimenta ampliora eidem constitui (addit inepte glossa ne allium atrumque panem comedere cogatur) quod ad gerenda Reipublica munia plebejis nobiles præferri, quod reverentius iidem salutari, quod de virtute atque fide nobilium amplius præsumi, quod cum speciali fidei suæ allegatione asseverantibus credi, quod honoratior iis locus concedi, quod denique nobilis femina marito caput pedesque lavare, parare cibum, lectumque sternere, aut cum formæ dispendio Filios lactare haud teneatur &c.* Quæ qualia sint aliis dijudicandum permittimus. Nos certe in plerisq; beneficii ac prærogativæ quidquam inesse quod magno interdum fruventibus usui esse queat facile agnoscimus, nec ulla ratione modernam illorum autoritatem, quam aut faciunt leges aut patiuntur, sollicitamus, id unice volumus tanti ea non esse, ut peculiarem nobilitatis statum per se absolvant, ut qui hæc habet nobilis sit, qui nobilis est necessariò hæc habeat, cum

cum illa ipsa jura queis tribuebantur, hæreditaria non essent, sed à certis in Republica muniis, hæc autem à vago Principis arbitrio penderent, quod ubi fit, nec nomen ut diximus nobilitatis, nec res ipsa viget.

§. XXIX.

Opportunum nunc fuerit *Nobilitatis Germanicæ*, quæ à Romana certe diversissima est, meminisse. Non intelligimus autem ut monitum in præcedentibus est vocabulo Germaniæ solum illum terrarum tractum qui fere Rheno, Danubio, Oceanoque continetur, ubi hæc ætate Teutones, Theotisci, Tuisconis posterius, aut quocumque alio nomine appellari eosdem placeat, incolunt. Quis enim hac ratione non videt, modernos regni Germanici limites cum veteri nationis Germanicæ ambitu confundi? Nec contenti sumus significatu Germaniæ illius magnæ, qualis à Tacito describitur, ut præter solum Teutonicum Borealia quoque regna complectatur. Sed accipimus hic Germaniam pro eximia parte veteris Celtiæ seu Galliæ, quo nomine Græcos constat, non solum Alemanniæ, Franciæ, Sueciæque & Daniæ modernæ, sed & Hispaniæ Britannique veteris incolas, & quicquid præterea terrarum ad Occidentem solem spectat, designasse. Vid. inter multos *Illustris Coccejus, Prud. Jur. Publ. Prolegom. §. 9. seqq.* Quantam vero Celtarum veterum partem Germani efficiant, vix tutius quam ex linguæ illorum usu dijudicari potest, quam fere communem in Francia, Anglia, Alemannia, Suecia, Daniaque modernis gentibus olim fuisse, invictis argumentis multi demonstrant,

runt, quorum forte vestigia in editione Tatiani Francici nostri DEO volente signatius prememus. Ut paulo hic distinctius dicamus, res ita habet: Germaniæ Celticæ veteribus notæ pars fuit Germania magna, quæ Taciti tempore obtinuit. Illius pars est Teutonia, quæ Rheno Danubioque flumine continetur. Illa iterum in diversissimas olim partes distributa fuit, quarum nomina partim interiere, partim sine re, aut in tenuibus reliquiis supersunt. Quando itaque de instituto nobilitatis quo usi Germani fuerint quæritur, de universa illa latè dicta Germania Celtica, velut quæ unam civitatem nunquam constituit, responderi haud quaquam potest. Si de omnibus ejusdem partibus minoribus quærat, nec huic quæstioni, in tanta prioris ævi obscuritate, quæ nullis idoneis rerum civilium monumentis illustratur, satisfieri poterit. Ast de præcipuis partibus, Gallis nimirum, Gothis Francis, atque Saxonibus, capiendi speciminis causa demonstratum id dabimus in sequentibus, hoc quidem modo, ut exterorum primo scripta, deinde domestica Germanicarum rerum monumenta, quantum utriusque fieri potest, consulamus.

§. XXX.

Inter exteros Græci, quanquam alias doctrinæ omnis promicondi, nihil habent, quod ad rem præsentem faciat, nec mirum est eos, qui ipsa gentis illius nomina ignorabant de statu ejusdem civili perspectum nihil habuisse. Quæ apud Strabonem atque Ptolomæum exstant, mere Geographica sunt, aut in rebus bel-

licis
quan
peru
qui a
num
rum
Cæsa
descr
idem
viti
easde
tidie
cipib
vis G
inter
accor
quitr
ipsan
tem
Equi
non
hiber
sum
e D
dicit
les
speci
de D
fram
ce in

licis recensendis occupantur. Romanis vero postquam transalpinas nationes Imperio suo adjicere cœperunt, ex facili enata occasio est penitus noscendi, eos qui ante superatis Alpibus tot cladibus illatis Romanum nomen concusserant. Primum itaque Romanorum impetum *Gallia* excepit, cujus statum luculenter Cæsar, qui rectissime omnium scire eundem poterat, descripsit, de bello Gall. Lib. VI. cap. X. seqq. Modo idem à communi peregrinas res commemorantium vitio abstinuisset, ut ad suos mores attemperatis verbis easdem efferant, quod quantum cladis veritati quotidie inferat in vulgus notum est. Sic Cæsar de Principibus, de Plebe, de Patronis & Clientibus, itemq; servis Gallorum multa passim spargit, quæ nequidquam inter se consentiunt, nec nisi in sensu analogico, atq; accommodatitio, pro veris haberi possunt. Unde sequitur, non tam ad verba narrantis, quam ad rem ipsam quam exsequitur, respiciendum esse. Dicit autem Galliam omnem dividi in *tres partes* in Druides, Equites atque plebem. Quod ipsum argumento est, non majori diligentia, quam quæ in Commentariis adhiberi solet, in consignandis Gallorum rebus Cæsarem usum esse. Qui enim Sacerdotes Gallorum vero nomine *Druides*, & Ministros equitum *Ambactos* appellatos dicit, quare nomen non addit quo equites, sive nobiles (hæc enim converti docet collatio Cap. 12. cum 14.) speciatim more gentis denotabantur. Quod autem de Druidibus & Ambactis affert, nostram ante propositam sententiam confirmat. De posteriori enim voce interpretum nemo dubitat, quin Germanica sit, cum

apud Keronem in *Glossar.* apud Otfrid. in *Evang.* Wille-
ram. in *Cant. Cantic.* passim extet, quam & Belgæ ho-
dienum in promiscuo sermone usurpant, quando opi-
ficium pariter atque Præfecturam regionis eon *Ambacht*
vocant, quemadmodum & reliqui Germani eodem
vocabulo contractiori, *ein Amt* / utuntur. De Drui-
dibus idem dici debet. Quod enim vocem eam à *drōs*
Græcorum, quod quercum notat, nonnulli derivant,
non magis est verisimile, quam quod ab *ect* Germa-
norum, quod rem eandem significat, equites dicantur.
Scio hic ad auctoritatem Plinii provocari *Hist. Natur.*
Lib. XVI. cap. 44. *Nibil habent Druidæ inquit (ita
Galli suos appellant Magos) Viscum & arbore, in qua gignatur,
si modo sit robur sacratius. Jam per se roborum eligunt lucos,
nec ulla sacra sine ea facere consueverunt, ut inde appellati
quoque interpretatione græca possint Druidæ videri, quicquid
adnascitur illis arboribus, è cælo missum putant signumq; esse à
DEO electæ arboris. Sacerdos candida veste cultus arborem
scandit, viscum aurea falce demittit, candido id excipitur sago,
omnia sanare credunt.* Sed quis de origine germanica-
rum vocum homini latino credat? nec aliam causam
affert Plinius, quare quercus tantam rationem Gallo-
rum Magi habeant, quam ut Viscum inde enatum cu-
randis ægrorum corporibus adhererent. Quis tamen
propterea, quod præter Theologiam gentilium ut alia-
rum rerum sic Medicinæ quoq; curam illi habuerunt,
statuat, medicæ potissimum artis peritia eosdem cen-
feri voluisse, & à medicamine quod præbebant glan-
des, aut potius arbore, quæ glandes ferat, nec gallicè
quidem sed græcè denominata, appellationem sibi in-
di-

didisse. Contradicit his omnibus Cæsar evidentissime, nec alii quidquam habent, quo idem confirmetur. Amplectimur itaque veriore sententiam Flacii, quam expressit quodammodo in præfat. ad Ottfrid. Evang. ubi à voce *druhtin*, quæ in veteri lingua Francica & Saxonica *dominum & nar' εξοχη* DEUM notat, *Drutas* seu ut Galli hodiernum mollius pronunciant, *Drūitas* i. e. *divinos* & rerum omnium *domino* addictos homines appellatos putat. Quam rem cum plerisq; aliis indubiam cunctantibus reddet eximiæ eruditionis labor, quem de lingua veteri Celtica restituenda molitur celeberrimus *Pezronus*. Quantum ad rem ipsam attinet, primum in Republica Galliæ dignitatis locum Druidibus Cæsar tribuit, proximum equitibus, quos cap. XII. nobiles vocat, nec solum belli tempore arma tractasse, sed & in pace distributum per præfecturas populum rexisse dixerat. Ex eo autem quod d. C. XII. *plebem gallicam nullo numero esse, per se nihil audere, sed magnitudine tributorum oppressam in servitutem nobilium semet tradere* affirmat, non temere colligitur, in proprietate fundorum atque immunitate à tributis præcipuum nobilitatis Gallicæ fulcrum repositum fuisse.

§. XXXI.

Quæ de reliqua Germaniæ parte Gallis opposita, idem Cæsar memorat, meram illarum gentium barbariem spirant, cujus tamen vix idoneam cognitionem Cæsar habuit, qui in Germaniam armis suis non alte penetravit. Quare insolens non est, ut imperitiæ atq; negligentiae à Cluvero Germanisq; aliis hac in parte
po-

postulerur. Nos illud in medio merito relinquimus, cum si falsa Cæsar memorat, nulli nobis usui ipsius labor esse possit, si autem vera tradit, de cultioris vitæ instituto inter Barbaros frustra requiratur. In libro Taciti *de Mor. Germ. à Cap. I. ad XXVIII.* de nobilitate, Regibus, Principibus, de plebe, servisque Germanorum univèrsim multa exstant, Romano more dicta, nec satis distinctè proposita & male si penitius inspicias coheræntia. Ex quibus omnibus peculiarem Nobilitatis Germanicæ statum & jura eundem concomitantia non temere quis eruerit. Satius itaque fuerit ad præcipuas Germaniæ illius partes hic respexisse, de quibus è domesticis rerum gestarum monumentis tutissime constabit.

§. XXXII.

Primò itaque occurrunt *Gothi*, de quorum vario statu, dum Scandinavia includuntur, dum in continentem Teutoniæ recta via, aut facto circuitu, se effunderunt, dum per reliquam Europæ partem arma circumferunt, distinctè nunc ut agamus, instituti ratio non permittit. Generatim id dici potest primò apud eos peculiare nobilitatis nobiliumque nomen *Adhal*, & *Adhalmans* existisse. Quæ sit illius vocabuli vis & unde idem descendat, dubium est, an ab *Odul*, quod possessionem propriam & hæreditariam notat, an ab *Atta* pater, aut *att* genus, quod nobiles avitam generis dignitatem habeant, an à voce *adal*, quæ egregium videtur denotasse, uti Exempla docent, *adalport*, porta præcipua, & *adalmurcr*, præcipuus murus, quæ *Loccenius*

opponuntur, uti patet ex *Leg. Suec. Provinc. Tit. i. Cap. 2.* quicunque prædia sua à tributis immunia cupiunt habere, sive sint Equites sive nobiles & *Tit. ii. num. 10.* Equestris ordinis viri dent uxori sua loco doni matutinalis 40. Marcas unciales, Suetici ponderis nec plus, communes nobiles dent 20. Marcas &c. Nec tamen propterea equites aut equestres nobiles esse desinebant, sed potius primum obtinebant nobilitatis gradum. Sic d. *Tit. i. Capitis ii. inscriptio* solum nobilitatis nomen præ se fert, cum tamen in textu de equitibus pariter & nobilibus specialiter sic dictis agatur. Secundus gradus erat ingenuorum & liberorum hominum (*Frelsmän*) qui & *Fryborne män* dicebantur, quoniam à libertis prognati ingenuitatem habebant. Atque illi libertorum filii mediocrum constituebant nobilitatem, cujus meminit *Job. Magn.* in Breviar. Histor. Septentrion. *Lib. XXII. Cap. 5.* de Engelberto ita narrans: *Erat eo tempore in Dalecarlorum regione Engilbertus quidam mediocri nobilitate conspicuus, utpote libertino patre natus.* An vero eodem quoque pertinnerint liberti ipsi, de quibus hæc habet *Ericus Upsaliensis Hist. Suec. Lib. VI.* Anno quo defunctus *Christophorus* ad oppidum *Stockholmense* congregari jubentur universi. Tempore itaque præfato accedunt ad locum *Episcopi, Pralati, milites* (quo nomine equites intelligit) & *liberti*, non immerito dubitamus. Saltem putamus ex ipsa vocum indole inter *Frelsmän* & *Frybornemän* hoc interesse discriminis, ut illa quidem ad libertatem, hæc nonnisi ad ingenuitatem pertinere possit, nisi forte vocem *Frelse* ad libertatem prædiorum seu ab alio omni onere præterquam servitii equestris immunitatem referre malis, in quam ten-

tenti
Lib. I
aliud
vent
tium
vel s
tionis
munis
res, q
dicti,
insign
ornata
Goth.
guum
dum
conci
mini
poste
su spe
Ridde
danis

I
quide
bilita
prie
Duces
qui p
Princ

tentiam propendere videtur *Loccen. Antiq. Sueo - Goth. Lib. III. Cap. 7.* Ut adeo mediocriter nobilis nihil hic aliud sit, quam qui unico equo, quem de prædii proventibus nutrit, promiscuas militiæ partes implet. Tertium erat genus *communis nobilitatis*, qua præditi *Swenner*, vel *Swena*, itemque *affwagn* dicebantur, cujus appellationis hanc causam reddit *Bureus in descript. Suec. communis* inquit *nobilitatis nomine veniunt cæteri nobiles inferiores, qui nullo peculiari honoris gradu donati sunt, olim affwagn dicti, aut quod in bello expeditis armis essent conspicui, aut scuta insignibus nobilitatis quidem sed non ut genere nobiles gentilitiis ornata habent.* Conf. *Stiernhielm in Indic. Leg. Westro-Goth.* Pertinere hæc conditio videtur ad eos, qui exiguum colentes fundum, qualis ad dextrarium alendum non sufficeret, de eodem sustentando cum aliis concurrentes, non ad militiam ipsam sed ad obeunda ministeria castrensia adhibebantur. Atque illæ duæ posteriores classes communi nomine nobilium in sensu specialiori sic dictorum censebantur, unde passim *Ridderskop och Adel* conjungi videas, qui una clero, oppidanis, colonisque opponuntur.

§. XXXV.

Præter tria illa nobilitatis Gothicæ genera fuere, quidem & dignitates civiles in eo populo receptæ, nobilitatis eximæ speciem præbentes, quæ vero ad proprie dictam nobilitatem haud quaquam pertinent. *Duces* enim sive *Heertuge* non alii vocabantur, quam qui præerant exercitui, qui adeo de familia Regum, Principumque aut de numero equitum atque nobili-

um reliquorum pro modo virtutis fumi poterant, nec dignitatem illam ad posteros transmittabant. Ita Sturlefon. *in Chron. Norweg. pag. 39.* testatur *Guttormum Haraldi Regis avunculum exercitui præfectum & Heertug inde dictum esse.* *Jarlorum* quoque nomen meri est officii qua de re notandus est locus *Oluffsag. Cap. 1. Jarl setti han* (loquitur de Haraldo Harfagero, feu Pulchricomo) *i hvario fylki, til lantstiornar oc laug ad dema i. e. præsidem in quolibet territorio constituit ad regendam provinciam & jus dicendum.* Quibus præfecturis minores Regum filii & ex filiabus nepotes, qui spe regni per nativitatem exciderant, donabantur. *Ibidem Cap. III. Han setti that laugum ad hans attmanna skyldi huer taka kongdom epter sin faundur, can jarldom sa er Kuenstf var af hans attmonnum h. e. sanxit ille ut paterno sanguine ab ipso descendens quisque regiam dignitatem parente mortuo capesseret, qui vero materno sanguine ipsam contingeret Jarlorum ditione consecratur.* Ast cum Jarli illi fiduciaria potestate abuterentur, & præfecturas suas sibi pariter & hæredibus proprietatis titulo arrogarent, dignitatem illam extinctam, & commissas ipsis ditiones publico vindictas scribit Huitfeldus. Sæpe quoque Jarli vocabulum pro nobili viro acceptum notat *Hervararsaga Cap. 5. Drecker med Jofri Jarla meingi, quod interpres Suecus ita reddit: Dricka boos Kongen mange store Herrar. Magnatum* vero vocabulo nobilitatem denotari ex iisdem scriptis notissimum est. Quod nonnulli de *Baronis* titulo hic afferunt, solo moderni moris præjudicio nititur. Vox enim illa Gothica nil nisi virum notat, uti vide-

vide
Baro
hodi
Adal
dum
in Di
tio fi
Syna
lum
Hif.
ultric
dimic
bröo.
nis A
Baro
mer
tem
gnita
plica

dixin
Dania
vis ab
num
fit Co
XIV.
majo
adept

videre est ex *Leg. Norweg. Cap. 48.* ubi expeditio virorum Baritoug vocatur, qui sensus vocabulo Hispanico *Varon* hodiernum inest. Natura igitur vocis inter *Herreman, Adalman, Man* (quo posteriori vocabulo ad designandum ordinem Equestrem Pomeraniæ nostræ Principes in Diplomatis usi leguntur, ubi frequentissima mentio fit *der Prælaten, Mann und Städte/ Conf. Becman-Syntagm. Dign. Illustr. Diff. XIV. Cap. 1. §. 7.*) & *Baron* nullum discrimen est, nec idem olim fuit. Ericus Upsal. *Hist. Suec. Lib. III.* Rex inquit *Ericus cum tota Dacia Baronia ultricem commovetur in iram.* Et in *Chron. Suec. Manuscr. dimicabat Carolus Dux cum Baronibus Sueciæ, prope Stongebroö.* Simile exemplum est in Charta Magna Johannis Angliæ Regis quæ ita orditur: *ista sunt capitula quæ Barones petunt & Dominus Rex concedit.* Conf. Rob. Filmer *The freeholders grand. inquest. p. 7. 8. seqq.* Quæ autem hic de Baronibus traduntur, non de peculiari dignitatis gradu sed de complexu totius nobilitatis explicanda esse res ipsa & narrationis contextus docet.

§. XXXVI.

Quod de conditione nobilitatis Gothicæ veteris diximus, id omne recentiori regnorum Sueciæ atque Daniæ statu confirmatur. In Suecia constat, tres quamvis ab antiquis diversissimas nobilitatis classes hodiernum mutatis quoq; nominibus retineri, ut *prima* nunc fit Comitum ac Baronum, qui originem debent Erico XIV. *secunda* Patriciorum regni, seu eorum quorum majores nomen quidem Comitum atque Baronum adepti non sunt, nec tamen inferiores iis, & dignitate

præsertim Senatoriâ inclyti fuerunt. Unde & nobilitatis togatæ vocabulo à quibusdam classis illa insignitur. Vid. *L'etat d' Europe de Mr. de St. Martbe*, qui quod de Suecia narrat Esaiæ Pufendorffio Ablegato tunc in Gallia Suecico acceptum refert. *Tertia est* classis promiscuæ nobilitatis, quæ cum à secunda quondam distinctissima esset, secunda autem primæ solo titulo concederet, facile inde patet, generali omnes nomine *Equitum Nobiliumq;* appellatos fuisse. Ubi tamen notandum est, inter tres illas veteris Gothicæ nobilitatis gradus, & inter tres modernas Suecicæ nobilitatis classes intervallum haud dari. Antequam enim Comites Baronesq; in Suecia crearentur, peculiaris dignitas *Dominorum* fuit, qua primarii è nobilitate viri designabantur Vid. *Instrum. quo Gustavus deinde Rex Erici XIV. Pater, suo ordinumque nomine obsequium Christierno II. renunciat, annexum Johani Olai Relat. Histor. ab Eric. Schröder. emend. p. 175.* ubi hæc leguntur: *Hvilket the högwardigste / högwardige i Gudi / Aehrwördige / Hederlige / Adle / Stränge och Aehrlige Arkebiskoper / Biskoper / Prelater / Herrar / Ridderskap och Adel ic.*

§. XXXVII.

In Daniæ Regno ternaria illa nobilitatis distinctio non ita perspicue expressa legitur, quæ tamen ex diversis rebus haud difficulter, ad similitudinem Sueciæ, colligitur. In *Instrum. quo Christierno II. fidem Dani renunciant l. c. p. 185.* mentio fit *der Biskopar, Prelater, Herrar, Ridderkap, &c.* Et porro in contextu ipso *Biskopar, Herfkap, Ridderkap.* Alibi ut in controversia Rosenkranzii cum

cum Bunone de statu regni veteris Danici hæreditario an successivo, inter Equites atq; Nobiles Daniæ operose differentia constituitur. Vid. *Rosenkr. Apolog.* p. 80. *Bunon. Defens.* p. 138. Alibi verò quod hic de Dominis & Equitibus, aut de Equitibus & Nobilibus Daniæ separatim traditur, unò nobilitatis Danicæ vocabulo comprehenditur. Vid. *passim Rosenkrantziana illa*, quæq; in *Hist. Dan. Meursius* habet & in *Hist. Gent. Septentr. Olaus Magn. Lib. VIII. cap. 8* p. 299. Conf. omnino *Pontan. in Chorograph. Dan. Descrip. p. 767.* Atq; is Danicæ nobilitatis status ad tempora usq; Friderici III. fuit, qui absolutum imperium adeptus Comitum quoq; & Baronum dignitate eundem ordinem distinxit, ut quantum Juribus ejusdem decederet, titulis pensatum arbitraretur.

§. XXXVIII.

Ex iis autem quæ de Gothis diximus præcipua Nobilitatis Hispanicæ Italicæq; instituta pendent, quibus locis Ostro-Gothi & Vist-Gothi regna suis moribus constituta habuerunt. Ut adeo teste *Cambden. in Britann.* Carolus V. Hispan. Rex domesticarum rerum exemplis per motus è Scandia & Gothorum stirpe totius Europæ nobilitatem exortâ fuisse, non malè censuerit, si pro præcipua Germanorum parte Gothos accipias. Eandem rem de Italia sua exprimit Æneas Sylvius, quando consilium popularibus dat, nobilitatis remotissimæ laudem affectantibus, ut Germani potius quam Itali nuncupentur. Cum vero in Italia atq; Hispania antequam Germani eò penetrarent Romanæ nobilitatis instituta in oculis atq; ore hominum essent, mirum non est, si

con-

confusa utriusq; nobilitatis nomina atq; jura hic illic deprehendantur, quam rem ut pluribus nunc agamus præsentis exercitii modus haud permittit.

§. XXXIX.

Apud *Francos* usitatissimum nobilitatis vocabulum fuisse ipsa in eo populo recepta, virorum nomina *Adalperi, Adalberni, Adalboti, Adalbolci, Adalbarti, Adalbelmi, Adalanti, Adalmani, Adalmuti, Adalmunti, Adaltrichi,* & feminarum nomina *Adalbeidis, Adalgartis, Adalinda, Adalsinta, Adalsutis,* &c. testantur, quæ apud Keronem extant in *Goldast. Antiq. Allemann. Tom. II. p. 92. Conf. Autor. Anonym. Opusc. de nomin. propr. Germ. apud Scharf. Tom. I. p. 442. cap. I.* Non vero nomen tantum nobilitatis sed & rem ipsam in Francorum Imperio obtinuisse probari potest. Quod ut plene fiat, notandum est in tres præfertim classes populum Francicum fuisse distributum. Prima erat *Nobilium*, altera *ingenuorum*, tertia *libertorum*. Priorem agnoscit ipsa lex Francica ab Heroldo edita *lib. II. cap. 39. quia constat in Ecclesia diversarum conditionum homines esse ut sunt nobiles & ignobiles &c.* & ex ordine illo nobilium juxta pagos vel civitates à Francis Reges creatos testatur Gregor. Thuronens. *Hist. Franc. lib. 2. cap. 9.* Cui Anastasius Bibliothecarius in *histor. Miscell.* consentit, ubi *gentis* inquit *Francorum est Dominum* i. e. *Dominum* sive Regem *secundum genus principari* i. e. in solium evehi. Unde & nobiles Reges facti inter titulos tamen regios vocabulum nobilis retinebant, uti ex antiquissimis capitularibus Childeberti, Pipini &c. patet, nec minus subditi honoris causa nobiles ipsos appel-

pellabant. Cujus rei exemplum exstat apud Ottfridum *in Præfat. Evang.* ad Ludovicum Regem directa:

Wanta er ist *edil Franko*

Wisero githanko

& paulò post

Cleinero githanko

So ist therfelbo Franko

So ist therfelbo *edilinc*

Ther heizit avur Ludovic

Proprie quidem inter voces *edil* & *edilinc* id discrimen erat, ut illà Rex ipse cum nobilibus, hoc vero Regum nobiliumque filii appellarentur, quæ tamen ut fieri solet præsertim à Poëtis confunduntur. Quemadmodum autem de numero nobilium Rex assumtus erat, ita ille in procurando Imperio non alia nisi nobilium opera utebatur. Hinc statim illi in pueritia ad aulas Regum ut splendido atque decore obsequio assuescerent, admitti sunt, unde *Adalschalchi* i. e. servi regii, pueri regii, itemque servi puerique nobiles (quos hodie Gallico vocabulo Pages dicimus) appellabantur. Hi deinde adultiores facti & officii in Republica admodi Ministerialium nomen acceperunt. Nomine autem Ministerialium præcipuè Duces, Comites, Missiq; regii designabantur. *Duces* uti ex nomine vernaculo *Hetugiorum* patet sola primo bella administrabant, unde & in vetustissimo diplomate quod affert Beat. Rhenan. hic titulus Ruperto & Withardo adscribitur: *Ego Withardus & frater meus Rupertus Dux militum Regis Ludovici*

droici. Deinde tamen & ad provincias regni regendas adhibebantur, qui ut Hincmarus testatur in *Epist. ad Episc. Franc. cap. 14. cum iustitia & equitate populum gubernarent, scientes se ad hoc positos esse, ut plebem salvent & regant, non ut dominantur & affligant.* Hi velut ad tempus constituti & ad arbitrium Regis omnia agentes modica primum autoritate pollebant, qua deinceps abusi, Ducatibus abolitis exciderunt, qui nonnisi sub finem stirpis Carolingicæ magno regni Franciæ malo iterum invaluerunt. *Comites à Francis Graphiones, seu Gravii vocati sunt, uti ex leg. Salic. Tit. XXXV, §. 5. & tit. XLVIII. §. 1. patet, qui ad regendos pagos in quos regnum divisum erat mittebantur, unde & Comites pagi, Comites pagensium in Capitularibus passim appellantur. Præcipuum eorum munus Ducatibus abolitis in jure dicendo consistebat, uti Turonensis de S. Nicet. ait: Vidi ego quodam tempore Basilium Presbyterum missum ab eo ad Armentarium Comitem qui Lugdunensem urbem his diebus potestate judiciaria gubernabat. Magistratum eum perpetuum primò non fuisse testatur Paul. Æmil. Lib. 1. deinde tamen addit, inveterasse consuetudinem ut nisi sceleris convicti abire Imperio non cogerentur.* Inde paulatim factum, ut *Comites Palatini* qui in Palatio regio ortas aut per provocationem eò delatas controversias judicabant, *Landgravii* qui universæ provinciæ præerant, *Marggravii* qui ad Imperii Limites positi jus dicebant, cæterique ejus generis hæreditariam dignitatem obtinerent. De natura *Missorum* ex ipso nomine, quod quomodo Franci lingua sua expresserint dubium est, satis constat. Illi enim ad explorandam Episcoporum diligentiam

Comitumque fidem, ut & cognoscendas populi querelas in provincias regni mittebantur, ut aut secus facta emendarent aut de iisdem referrent ad Regem. Utrumque temporarium erat, & cum ipso quod præ manibus erat negotio plerumque expirabat. Vid. omnino *Leg. Franc. Lib. II. Cap. 26. atque 28.* Certumque adeo est neque Ducum, neque Comitum aut Missorum dignitatem peculiarem & à promiscua nobilitate distinctum in Republica Francorum statum unquam constituisse.

§. XL.

A nobilibus proximi erant *ingenui i. e.* illi qui matre libera nati essent, qui & propterea liberi vocabantur, seu quod fundos ab omni servitute aut privati alterius potestate liberos, quique adeo donari, vendi, legari pro lubitu poterant, possiderent, unde est quod bona ingenuilia servilibus semper opponuntur. Vid. Gregor. Turon. *de Mirac. St. Mart. Cap. XXIII.* Ingenueorum frequentissima fit mentio lege Salica *Vid. tot. Tit. XII. de furtis ingenuorum Tit. XLIV. de homicid. ingenuorum,* ubi & *nar' égoxiv* Franci & *ingenui Francones* appellantur. *Conf. Tit. XLIII. §. 3. Tit. XLIV. §. 1.* Quodnam vero inter nobiles atq; ingenuos discrimen fuerit, in ipsa Salica aut Francica lege nusquam traditur, quin ex plerisque locis colligas, non æque illud magnum, semper fuisse. Putaverim, tamen in honore generis, qui quidem ab ingenuis, quamvis non semper abesset, abesse tamen poterat (nam & qui libertum aut servum patrem habuisset lege Francica ingenuus erat.)

collocari idem posse. Nec aliam fortè ob causam à nobilibus introductum fuit, ut velut à certo majorum (*Abnen*) numero dignitas eorum pendere crederetur, quod præsertim in ludis equestribus aliisque solennibus rebus religiose observatum novimus. Quam consuetudinem mere Francicam esse ipsum nomen indicat, quo utitur Otffrid in Evangel. Cap. 192.

Iro anon ouh so datun
Thero forafagono ahtun

majores ipsorum idem faciebant, & Prophetas persequebantur. Nec insolens præterea est, ut generatim aliqua statuum civilium sit diversitas, quæ non æque in omnibus individuis perspicua ac notabilis evadat. Cum ergo nobiles quidem ingenui, sed ingenui nobiles non essent, mirum nemini videri potest, si communi quidem ingenuorum nomine interdum nobiles utantur, & propterea tamen à tantum-ingenuis differentiam agnoscant. Forte & in ipsa quantitate agrorum qui possidebantur discrimen erat, cum nobilibus prædia, ingenuis mansos tribui videas, quorum cultui vacantes *Coloni* vocabantur, uti ex adducto loco *leg. Franc. Lib. II. cap. 39.* patet. Hi cum deinde agros suos inconsulta pietate ducti Ecclesiis atque monasteriis donarent, & vicissim eos in beneficii modum ad vitæ dies reciperent, aut ad evitanda Reipublicæ onera se suosque in clientelam Episcoporum atque Abbatum darent, quod qui faciebant *Lidi* five *Lidones* vocabantur. Vid. *Leg. Sal. Tit. XIV. §. 6. & Tit. XVI. §. 4.* fieri aliter non poterat, quam ut sensim pri-

privata ingenuorum conditione extincta à nobilibus atque sacerdotibus mansi ingenuiles possiderentur, qua de re consulendi *Pistorius & Goldastus in Tradit. Cænob. aliiq;*

§. XLI.

Tertium genus hominum faciebant *liberti*, seu è servitute manumissi, quæ servitus quemadmodum variis nominibus contracta fuerat, ita quoque diversis præstationibus constabat, diversisque nominibus designabatur. Quidam servi *Villani* erant villis agrisque addiæti, quos curare, arare, fodere, sepere, queis vicissim alimenta heri præstare cogebantur. Alii dicebantur *Casati*, qui loco alimentorum *casam* seu ut Capitularia loquuntur, *casatam* i. e. habitaculum cum terra idonea ad tenuem familiam alendam possidebant, qui nostro loquendi genere *Cossaten* appellantur. Casæ autem Colonorum *curtis dominica* opponebatur, qua voce hodiernum Angli ad denotandum id, quod Germani *Hein Hoff* vocant, utuntur. vid. *Leg. Sal. Tit. XXXVII. §. 4.* De *Lidis* seu *Lidonibus* jam tetigimus, ubi tamen notandum est non solis Episcopis atque Abbatibus sed & nobilibus factos dedititios hoc nomine venisse. Occurrit & *Boborum* sive *Bubiorum* nomen quod vilissimum servorum genus est, qui ad promiscua rei culinariæ atq; domesticæ ministeria adhiberi solebant, servi scilicet servorum. Recte vocem illam *Urstif. in Catalog. Barbar. voc. præmissis Tomis II. Hist. Germ.* per *lixas* interpretatur, qui hodiernum nobis *Trosß-Buben* vocantur, usuque Germaniæ superioris adhuc obtinet, ut in chartis luso-

riis servulus **der Vube** appelletur, cum alias vocabulum illud pro contumeliæ nota nequitiae servili congrua valeat. Homines *fiscales & fiscali*, seu ut alias vocantur servi regii, qui fuerint satis nomen ipsum indicat, quod scilicet re & corpore fisco regio cessissent. vid. *Leg. Franc. cap. 16. & 36.* Hi omnes variis modis solebant manumitti. Quidam *per chartam* five *tabulam cera* munitam, qua testimonium concessæ libertatis continebatur, unde & chartularii, tabularii, atque cerarii vocabantur, vid. *Leg. Franc. Lib. III. cap. 28. 43. & Lib. IV. cap. 42.* Atque illa manumissio cum præsentem Episcopo publice in Ecclesia fieret, hinc qui manumissi hoc modo erant, homines ecclesiastici dicebantur. vid. *Leg. Ripuar. Tit. LX. §. 2. quod si quis tabularium seu ecclesiasticum hominem contra Episcopum defensare voluerit &c.* Alias quoque per imaginariam venditionem five *per denarium* manu servi à Domino aut qui vices ejus obiret alio excussum, & ad pedes Regis Procerumq; jactatum, manumissio fiebat, cujus ritus lege Salica introducti formula exstat apud Marculfum *Lib. I. cap. 22. Illustris vir ille servum suum per manum illius ad nostram præsentiam jactante denario secundum legem Salicam dimisit ingenuum, ejus quoque absolutionem per præsentem autoritatem firmamus.* Atque illi à denario denariati & à Clientela regia homines regii vocabantur. vid. *Leg. Ripuar. Tit. LIX. §. 1. & 4. & Tit. LX. §. 22.* Solent & servi perfoluto justo pretio libertatem apud Francos recuperare, id quod illi vocabant manumitti *secundum legem Romanam*, vid. *Leg. Ripuar. Tit. LX. §. 1.* qua qui libertatem adepti erant, Romani dicebantur. vid. *Leg. Ripuar. ibidem. §. 21.* Atq; hi liber-

liber
atque
liber
se de
certu
nis p
pore
rum
cultu
exstar
Episc
Nec f
eoder
fruer
miffo
nobile
arcess
admit
honor
deretu

R
instit
autem
quæ h
tis par
quiden
ut ead
origin
arcessi

liberti omnes quanquam per manumissionem liberi atque ingenui facti dicerentur, multum tamen à jure liberorum atque ingenuorum, quales sub secunda classe descripsimus, distabant. Plerisq; remissa servitute, certus modus frumenti, pecoris aut pecuniæ quotannis persolvendus, aut certi generis ministeria stato tempore præstanda imponebantur, & quanquam bonorum proprietatem, qua servi caruerant, haberent, facultate tamen testandi haud gaudebant, sed liberis non exstantibus exclusis agnatis tabularii quidem hæredem Episcopum, denariati vero Regem nanciscebantur. Nec satis decorum videbatur, ut servi vernæq; dimissi eodem statim cum dimittentibus jure atque honore fruerentur, quæ æqualitas demum nepotibus manumissorum indulta. Quæ ratio est, quare ita ambitiose nobiles à quarto progenitore originem ex utroq; latere arcefferent, nec alia quidem conditione in Torneamentis admitterentur, ne scil. in iis, qui uno gradu libertos honoratioribus superabant, servile quidquam deprehenderetur.

§. XLII.

Restat, ut de *Saxonibus* quoq; videamus, quorum instituta cum Francis hic fere consentiunt. Utemur autem in ea re demonstranda certioribus monumentis, quæ historia gentis partim in solo Teutonico incolentis partim in Britanniam delatæ nobis præbet. Primò quidem nobilitas peculiare utrobiq; nomen habuit, ut eadem præditi *Ethelingi* dicerentur, cujus vocabuli originem ab *Ethel* quod patriam significet, commode arceffit Somnerus in *Dictionary Anglo-Sax.* Hinc nomina

na fluxere Ethelardi, Ethelbaldi, Ethelberti, Ethelgari, Ethelhelmi, Ethelburgæ, Etheldritæ, Ethelfledæ & similia, quæ vid. in *Edmund. Gibson. V. Cl. Chronic. Saxonie. passim.* De Republica Saxonum Nithardus *Hist. Francic. Lib. IV.* hæc habet: *Gens Saxonum omnis in tribus ordinibus divisæ consistit, sunt enim inter illos Ethlingi, sunt qui Frilingi, sunt qui Lazzi illorum lingua dicuntur, latina vero lingua hoc sunt nobiles, ingenui & serviles. Atq; illa est divisio ejusdem populi ternaria, ad quam provocat Werner. Rolovinc. de Sit. & Mor. Westphal. lib. II. cap. I.*

Sed generalis habet populos divisio ternos, Insignita quibus Saxonia floruit olim.

Nec iis Adamus Bremensis contradicit, qui quatuor differentiis Saxoniam gentem constare ait, nobilium, liberorum, libertorum atque servorum. Quanquam enim de conditione libertorum sine notitia status servorum judicari nequeat, nullibi tamen Reipubl. partem Servi faciunt. Nobilium sive Adalingorum mentio fit in lege Saxonum, quam edidit Heroldus *Tit. I. §. I. Tit. II. §. I. 3. 7.* & in lege Angliorum *Tit. I. §. I. Tit. II. §. I. Tit. III. §. I. Tit. IV. §. I.* sqq. Sed apud Anglo-Saxones in Britanniam delatos Ethelingi nomen Principi Juventutis & proximo regni successori tributum, uti exemplum est in *LL. S. Eduard. pag. 150.* Rex Eduardus filium eorum secum retinuit, & pro suo nutrit, & quia cogitabat heredem cum facere nominavit Adeling, quem nos (Normanni) dicimus Domicellus (quod diminutivum ex Domnus est, quo ut diximus Francorum Reges utebantur.) Ibidem quoque dicitur, quod Ethelingi vocabulum compositum sit

fit ex *Adel* nobilis, & *Ling* imago, ideo quod futurus Rex imago nobilitatis esse debeat, id quod non magis est verum, quam quod paulo ante p. 140. dictum erat, de vocabulo *grave* à *grytb* Anglorum pax & *ve* Latino- rum descendente, quod scil. ille ad *pacem* eos, qui *ve* patriæ inferant compellere debeat. Vox illa *Ling*, quæ imaginem denotet, nullibi hætenus comparet, geni- umq; Germanicæ linguæ turpiter is ignorat, qui ter- minationem illam germanicarum vocum non agno- scit, quam exemplis explicat Somnerus in *Dictionar.* Hæc autem ideo notamus, ut in legibus quoq; nugæ sæpe agi, nec obiter ac extra legum præscripta dictis presse semper inhærendum esse demonstretur. No- mine tamen Ethelingorum Satrapæ quoq; regii, quo- rum inter Archiepiscopos atque Episcopos media erat dignitas, honorabantur, uti docet *Lex Canuti à Lambardo edita* §. 55. Reliquis nobilibus vocabulum *Ethelboran* aut *Ethelman* tribuitur in *Leg. Alfred.* §. II. & in *leg. Ethel- stan.* §. 68.

§. XLIII.

Hanc vero nobilitatem Saxoniam in certas ite- rum classes fuisse distributam haud apparet. Equidem in singulis *Sciris*, in quas Angliæ regnum divisum erat, *Gereve* quos vulgò Comites vocant fuere, sed meri hi erant Judices quorum munus voluntate regia aut ipso- rum delicto morteq; finiretur. Vid. *Leg. Alured.* §. 22. Ex eo autem vocabulo *Gereve* pronunciatione Gallica à Normannis in Angliam invec̃ta factum est *Scherif*, quod judicem hodiernum significat. *Heretoghios* sive
 K Duces

Duces, qui in Comitatibus rem militarem administrabant, ne quis hæreditariam dignitatem obtinuisse credat, in pleno populi concilio *Folckmote* dicto per electionem electos i. e. liberrimis populi suffragiis creatos dicit Eduardus in Leg. §. 36. De Earlis repetendum hic est quod de Jarlis Gothorum supra diximus. *Thegani* seu *Thani* vocabulum ministrum denotat uti patet ex fœdere *Alfred. cum Guthrum. apud Lambardum pag. 36.* unde & ibidem ministri regii (*Cyninges thegn*) aliorum ministris (*men thegn*) & p. 55. num. 71. ministri Ecclesiæ (*Messe thegnes*) ministris secularibus (*Werold thegnes*) opponuntur. Quicumque ergo de genere nobilium in rebus aulicis ministeria principi præstabant, voce *Theganorum* appellabantur, & inter se quidem pro ratione officiorum varie distinguebantur, Vid. omnino. *Leg. Canut. §. 69. de Hereot.* nequaquam vero peculiari dignitate hæreditaria à reliquis nobilibus differerebant, qui in prædiis suis, quæ *Folcklande* aut *Boclande* vocabant, curandis unice occupabantur. Unde & *Thegan* *Lambardo* in glossario nobilis est, & *theganboran* non minus quam *ethelboran* homo nobilis obscure humilique opponitur. Vid. *Senatus Consult. de Monticolum Wallie apud eundem pag. 95. circa fin.* Male itaque agunt, qui *Theganum* Baronem vocant, à nobili scil. diversum, cum Comitum atque Baronum dignitas non nisi post Normannorum è Gallia adventum corruptis populi moribus in Anglia auditus fuerit.

§. XLIV.

Post nobiles erant apud Saxones homines liberi quorum fit mentio in dicta lege *Saxonum Heroldi Tit. II.*

§. 4.

§. 4. & Tit. XVI. itemque in leg. Anglior. Tit. 1. §. 2. Tit. II. §. 2. &c. Apud Saxo-Britannos aperte iidem vocantur *the frigan* in leg. Edgar. interque liberos atque serviles (*Freoum Mannum & Theowum monnon*) manifestum discrimen constituitur leg. Alfred. pag. 33. num. 41, & Canut. §. 19. Qui Freoman ibi dicuntur simpliciter quoque *Man* vocantur uti exemplum est in leg. Ethelstan. §. 1. Ex numero liberorum hominum defumebantur præsertim *Ealdermanni* i. e. senatores municipiorum seu burgorum, quorum non multo minor nobilibus in communi populi conventu erat autoritas. Ast infimum liberorum hominum locum tenebant rustici seu pagani, *Ceorle* dicti, qui à Colonis sive Villanis in servitute positos differebant. Vid. Alured. leg. §. 25. & Ethelstan. leg. §. 71. Mihi quidem cum conditione Dalecarliorum Sueciæ maximam illi affinitatem videntur habuisse atque inde vox illa forte in Angliam invec̃ta fuit.

§. XLV.

Tertium inter Saxones locum tenebant *liberti* quorum nomen diferte exprimitur in leg. Angliorum tit. X. & in leg. Saxonum sæpe fit mentio servorum, atque eorum manumissionis quæ libertum facit. Vid. eandem tot. Tit. X. Specialia autem servitutis Saxonica à Carolo Magno præsertim introductæ nomina non exstant, nisi quod *Lidorum* de quibus supra monuimus meminerit lex Saxon. Tit. 1. §. 8. & Tit. II. §. 3. Sed apud Saxo-Britannos non uno nomine servi vocabantur. Generatim illi quidem dicebantur *Theowe*, quod vocabulum in lingua veteri Francica & Belgica moderna eundem significatum retinet, & in

citat. loc. ex Lambardo frequentissime occurrit. Ii-
 dem & Thraele in *Leg. Ethelred.* §. 5. aut *Ocbres Mannes*
manne, aliorum hominum homines, Vid. *Leg. Ethelstan.*
d. l. Pag. 54. §. 1. vocabantur. Occurrit & vocabulum
geneath, *geneacht*, quod ex germanorum *Knecht* / cor-
 ruptum apparet. De differentia autem nominum il-
 lorum, si quæ fuit, nondum constat. Manumissionis
 eorum ritum descriptum habemus in *lege Guilielmi Ba-*
stardi: Si quis velit servum suum liberum facere, tradat eum
Vice-Comiti per manum dextram in pleno comitatu, & quitum
eum clamare debet à iugo servitutis suæ per manumissionem,
& ostendat ei liberas portas & vias & tradat illi libera arma
scil. Lanceam & gladium, deinde liber homo efficitur. Quod
 ipsum ita expressit *lex Henrici 1. Cap. 78. qui servum suum*
liberat, in Ecclesia & mercato vel comitatu vel hundredo coram
testibus & palam faciat, & liberas ei vias & portas conscribat
apertas, & lanceam & gladium, quæ liberorum arma sunt, in
manibus ei ponat &c. Non omnes tamen manumissi
 plenam libertatem adipiscebantur. Sed quidam *Bur-*
darii remanebant i. e. certis oneribus subjacentes, quor-
 sum præcipue villici, quos illi *gebure* vocant pertine-
 bant i. e. ad certum censum annis singulis pendendum
 adscripti. Erat itaque Francorum Saxonumque in-
 stituto libertus qui servus amplius non erat, ingenuus
 qui servus nunquam fuerat sed sub se habebat servos,
 nobilis qui & in potestate servos & in clientela ingenu-
 os habebat, Vid. *leg. Saxon. Tit. XVI. §. 1.* qui ita incipit:
liber homo qui sub tutela nobilis cujuslibet erat &c.

§. XLVI.

Quæ nobilitatis Francicæ, seu, ut loqui amamus
 farn-

Franconia Saxonicæque in ipso Germaniæ regno superstitis moderna conditio fit, partim immedietate sua partim aliis nominibus invidenda, velut satis notum. præterimus *Vidd. passim Publicist.* In Francia regno supersunt nomina nobilitatis diversissima, nec forte major unquam gentiliū hominū in ea, quam qui nunc est, numerus fuit. *Vid. L' Etat de France.* In Angliæ regno notandum est nobilitatis & equestris ordinis distinctissimum esse statum, ita ut in censum nobilium veniant soli Duces, Marchiones, Comites, Vice-Comites, Barones: Inter gentiles autem numerentur Baronetti, qui à Jacobo I. A. 1611. creati hæreditariam dignitatem obtinent, Equites Balnei, Aurati-que, qui omnes vocabulo Anglorum *Knight* continentur. Eodem pertinent Armigeri, ipsi *Esquires* vocant, & deniq; gentiles, ipsi *Gentelmen* appellant. *Vid. de singulis Selden. in tit. honor.* Quanquam vero ut diximus nobilitati gentilitas apud Anglos opponatur, quanquam Miegius in *present. Angl. stat. Part. II. cap. 19.* gentilitatis statum inter nobiles atq; plebejos medium appellet, quanquam porro gentiles cum plebejis locum in Parlamento fortiantur, & in legibus Anglorum nomine, etiam Communitatis sive plebis comprehendantur, hæc omnia tamen non obstant, quo minus gentiles pro vere nobilibus nostro loquendi genere sint habendi. De nomine enim parum sollicitus est, qui rem ipsam habet, nec diversi nobilitatis gradus nobilitatem extinguunt, nec conjunctio cum plebejis in eodem congressus publici loco genus contaminat, nec deniq; plebis nomine nisi quando de duplici domo Parla-

taria fermo est, continentur. Possident iidem potissimam regionis partem per prædia descriptam non alio quam quo Ducatus Comitatusve possidentur jure, & tanto nunc quidem validiori, quanto magis gentilium opes nobilium opibus præponderant. Nec certe inter verborum honores peregrinis in Anglia exhiberi solitos, ut *Gentelmens* vocentur, referri id posset, si nil nisi plebejum hominem vocabulum illud denotaret, nec ab ipsis indigenis idem, quando nobilitatis jura sibi tribuunt, nominibus adscriberetur.

§. XLVII.

Atque ea quæ diximus naturam Nobilitatis Germanicæ per Lusitaniam, Hispaniam, Galliam, Italiam, Allemanniam, Sueciam, Daniam & vicinas Teutonicò regno diçiones Bohemiæ, Hungariæ atque Poloniæ, adeoque per universam fere Europam dispersæ, quantum ad peculiarem illius in Republ. statum attinet, satis explicabunt, si præsertim de Suevis, quorum pars Longobardi fuere, aliisq; ea quæ consulto prætermittimus cogitatione adjungantur. Restat nunc ut jura statui huic competentia proponamus, sed quæ generatim omnia edisseri vix possunt, cum & magna eorum sit moles, & major pro ratione regnorum, Principatum atque Provinciarum diversitas occurrat. Putamus tamen commode omnia ad tres generales classes posse revocari ad *dignitatem, prædiorum possessionem & immunitatem*. Quæ omnia temere usurpata nobilitatem per se non efficiunt, sed à legitima civilis Imperii constitutione pendent, cujus solius est in certas honorum clas-

clāſſes populū digere, de territorio conſtituere, & aut imperare tributa aut remittere. Præterea tria illa conjunctim ſumta quod efficiunt, id ſeparatim conſiderata nequaquam operantur. Dantur enim dignitates civiles in plebejos collatæ personales, quæ communiter hæreditariis ſolis præferuntur, nec nobiles tamen faciunt. Qui ſolam qualiscunq; agri proprietatem naſtus eſt, propterea non antecedit eos, queis alia collocandarum opum via commodior videtur, quique ruſticæ vitæ urbanitatem præferunt. Nec ſola immunitas à tributis nobilitatem conſtituit, ni clericos alioſq; pari privilegio utentes nobilitate dictis aggrediamur.

§. XLVIII.

Quod autem ſumma in Nobilitate Germanica dignitas natura ſua inſit, negari non poteſt. Qui enim in univerſo hominum genere, non niſi duabus clāſſibus diſtincto primum locum obtinet, quicunq; præterea, communiter recepto loquendi more cum ipſis Regibus Principibuſque conjungitur, is non injuria aliis ſe præfert. Notum eſt vero, qui nunc ſunt per Europam, Reges Principesq; ſi genus inſpicias Comitum omnes loco ortos, Comites autem majores eorum, uti diximus, factos de numero nobilium. Dantur hodiernum Reges è nobilitate mera lecti, cujus illuſtre exemplum in Polonia haud ita pridem Johannes Sobieſkius præbuit. Reges alii ſucceſſione certa regnantes non indignum ſaſtigio ſuo habent ut fide nobilis viri, (*auf Cavaliers Parole*) ſanctiora promiſſa firment. Fuit tempus & adhuc eſt, quo à Pontificibus Romanis non alio

alio quam nobilium virorum titulo Electores Princesque, qui Papale fastigium agnoscunt, salutarentur. Sic Leo X. *nobili Viro Ludovico Comiti Palatino, Sacri Rom. Imper. Electori*, ut est apud Freherum in Epist. Respons. &c. Sic Clemens V. *dilecto filio nobili viro Rudolpho Duci Bavaria* vid. Gerold. de Septemvirat. cap. VI. Paulus V. *dilecto filio nobili Viro Maximiliano Duci Bavaria* literas inscripsit, nec in ipsis literis alia usi sunt formula allocutionis. In ipsa Germaniae historia idem ejus vocabuli usus insolens non fuit. Apud Freherum *Tom. I. Rev. Germ. Hist. Austral. Rudolphus Rex dicitur, curiam celebrasse, ibiq. de consilio & voluntate nobilium qui adervant Albertum filium Ducem Austriae & Styriae constituisse.* Sed quinam nobiles adfuerint ex *Ger. de Roo & Tritem.* declarat *Lehmannus Chron. Spir. Lib. V. cap. 105. i. e.* Imperii Romani Princes. In Gallia usitatissimum est, ut Ducum major natu filius Comitis, minor Equitis (le Chevalier) nomine vocetur. Et in Anglia minores Ducum Comitumq. filii communiter *Esquires* salutantur. In aulis Principum fere omnium ad honoratiora obsequia praestanda vix alii quam genere nobiles admittuntur, nec ulla est dignitas civilis, ad quam non multo compendiosior nobilibus quam plebejis via pateat. Et quanquam plebeja virtus solo natalium splendore opposito non offuscetur, verum est tamen plebejos sine virtute omnino nihil habere, quod honorem inveniat, in nobilibus tamen adhuc superesse, quod coli mereatur. *Quantum rectius faciunt, qui majorum nomine magis ad ostendendam successionem virtutis, quam ad poenae aut contemptus deprecationem utuntur.* In Ecclesiastico

stico statu, quæ nobilium prærogativa fit, modernum Pontificis Romani, nobili Albanorum Urbinatum genere prognati exemplum ostendit. Plerique Cardinales nobiles sunt, primates regni Hispanici atque Polonici sunt nobiles, iidemque in Germania ad Archiepiscopales honores frequenter admittuntur. Quis Reverendissimum Trevirensis Ecclesiæ Antistitem Electorem *Johannem Hugonem* nobili Orsbekiorum Juliacensium, quis venerabiles Aichstadiensis, Hildesiensis, & Brixensis Ecclesiæ Præsules *Johannem Martinum* Eibekiorum Suevico, *Jodocum Edmundum* Brabekiorum Marcanô, & *Johannem Franciscum* Khuniorum Tirolico genere prognatos aut ignorat, aut parcius colit? Ut de minoribus dignitatibus & emolumentis sacris, quæ solis patent nobilibus, nihil nunc dicamus.

§. XLIX.

Non exiguum quoque nobilitatis fulcrum in attributa agrorum possessione consistit. Nec enim civilis dignitas sine opibus decore sustineri, nec aptius firmari opes quam constituta fundorum proprietate possunt. Quicquid aliunde facultatum corraditur, id aut naturæ suæ vitio aut extrinsecus accedente vi mature corrumpitur, nec servando servari potest, adstruendi nummorum cumuli facile corruunt, nec in ædificiis & substructionibus quidquam firmi est ac perpetui. Pleraque fundi pars id habet, ut quemadmodum auferri sic mutari nequeat, & si incertum nummorum valorem, si abundantem hominum multitudinem, aliaque externa quæ accidunt excipias, reditus

L

quo-

quoque fundorum facta annorum computatione sic satis sibi constant. Unde non immerito qui ipsum patriæ solum proprietate obtinent, potiore salutis publicæ curam sibi vendicant quam qui in gleba hærent, qui incolarum negocia curant, qui quæstus faciendi causa per provinciam discurrunt, qui artificia exercent similesque. Hæc enim omnia non erant, cum terra primum coleretur & coli omnino terra vitæque hominum sine adminiculis illis sustentari, at reliqua omnia sine fundorum cultu subsistere non possunt. Duplici autem ratione proprietatem terrarum acquisitam esse ratio docet. *Altera est primæva illa cujus memoria non exstat, terrarum occupatio aut divisio, quæ sublato communi rerum ususi successit, & in segregibus familiis quas passim Historia tam sacra quam profana memorat locum habuit. Vid. Grot. de J. B. & P. Lib. II. Cap. 3. & Pufend. de J. N. & G. L. IV. Cap. III. sqq.* Hæc multiplicato hominum genere, cum major eorum quam fundorum numerus esset, paulatim ad alia vitæ genera exquirenda occasionem, & ex consiliorum atq; operarum communicatione facultatem præbuit. Sed & idem hominum numerus cum profanos, otiosos & abjectos multos contineret, quo adversus improborum conatus secunda bonorum possessio modestis foret, constituendarum civitatum consilia inita & perfecta, quæ non aliis nisi patrii soli cultoribus tribui possunt. Atque illi de grege suo Principem sibi statuentes, ut digniori præ oberrantibus atque adventantibus loco essent, facile obtinuerunt. Quod hominum discrimen cum ipsa cultiori eorum vita,

ta, magis magisque emerfit, & specialibus nominibus appellari cœpit. *Altera ratio* petita est ex Historia, quam vocant migrationum, sed quæ recte intelligenda. Non enim putandum est ipsam e. g. gentem Gothorum Romanis bellum intulisse, ut, quicquid armis milites obtinerent Gothorum regno acquireretur. Sed erat illa abundans & rejicula multitudo ejusdem gentis, quæ relicto patrio solo cultoribus oppleto novas sedes quærebat, & jus omne in armis positum arbitrabatur. Hi ergo exercitus, qui communicato emigrandi consilio coaluerant, quanquam certis belli Ducibus subessent, non magis tamen sibi quam illis Belli fructus quærebant, adeoque pulsas devictisque Romanis provincias Impetio eorum subjectas per universitatem occupabant, ut quæ Romanorum ante fuerant, belli atq; conquestus jure nunc Gothorum essent. Non sufficiebat autem belligerantibus, è ditione Romanorum in Gothorum ditionem terras illas concessisse, ni inter ipsos illos qui exercitum Gothicum constituebant, justa fundorum distributio fieret, quæ an nova occupatione, quod rarius, an quod frequentius est forte, aut assignatione facta fuerit, non definimus, Vid. de re ipsa *Grot. de J. B. & P. Lib. II. Cap. II. §. 4.* Id certum est origine hac plerorumq; fundorum proprietatem merito censeri, quæ cum olim nulla exstante militia mercenaria nonnisi mutua possidentium ope defendi posset, nexus ille Imperantium atq; parentium fide ultrocitroq; data, inde enatus est quem feudalem appellamus. Ex illa autem sola feudorum constitutione originem nobilitas non habet, cum nuspiam legamus ex-

stinctis atq; deletis prioribus incolis, qui Romanorum Imperio paruerant, vacuum hominibus regionem à Gothis aliisq; Germanis esse occupatam. Unde probabile evadit, multos indigenarum, quibus fortuna Belli pepercerat, cum populo novo coaluisse, sensimq; & jura eadem adeptos, & æqualem cum iis conditionem subiisse. Id quod feudorum oblationi, verbisq; *Erbs und Lehn*/ quæ in nobilium bonis distinguuntur occasione præbuit. Quicquid sit, nobilitas Germanica nunquam & nullibi sine fundorum proprietate fuit. Unde & qui antiquissimis temporibus simplici inter populares nomine appellabantur, sequentibus seculis de prædiis suis cognomina sibi ascivere, quæ causa hodiernum est ut particula, *de, à, Von*/ nobilium nominibus adjungantur, quas tamen qui ejus nominis prædia non habent, aut de loco appellationem non fortuntur, inepte iisdem assuunt. Tandem ob causam ut scilicet de dominio rerum quod prædiis præcipue inhaeret gloriarentur, soli olim nobiles Domini *Herren*/ & Filii eorum *Junckherren* appellabantur, quod posterius nomen deinde & adultis remoto seniorum respectu hæsit. Vid. *Tit. IV. Des Brehmischen Ritter Rechts*/ qui ita habet. *Was einer Frauen von Adel in diesem Erb-Stift aus ihres seeligen Jungkherren Gütern nach seinem Absterben gebühret &c.* Hinc quoque jura primogenituræ, majoratus, similiaq; instituta fluxere quorum omnium ratio in nobilium familiarum conservatione vulgo ponitur, parum quidem apte, ni in ipsa bonorum illorum possessione ful-

crum
ex di
rum
nim
actur
go ne
ant,
dem
possi

imm
ævi f
tavis
va fu
torur
nobil
non p
potiff
cipati
popu
gnavi
tia, q
tem, c
gener
transf
præse
ti nec
corur

crum status ejus repositum agnosceretur. Nec tamen ex dictis concludi volumus quod vitium nobilitas eorum patiat, qui actu prædia non habent, sufficit enim habendi facultas per Nobilitatem collata, quæ in actum facillime occasione data deduci potest. Ut ergo nec novæ nobilium familiæ quod veteribus invident, nec veteres quod illudant novis habeant, siquidem aliud nihil in ipsorum conditione reprehendi jure possit.

§. L.

Tertium jus nobilitatis germanicæ eximium in immunitate à tributis consistit, quod quidem in prioris ævi simplicitate exiguum videri poterat, ast hodie quantivis pretii est, nec fere pretio æstimari posset, ni per nova subinde excogitata tributorum nomina vetera multorum jura artificiose infringerentur. Habent id ergo nobiles, ut extra belli casum ad ferenda Reipubl. onera non perinde ut plebeji adstringantur. Cujus rei ratio potissimum in ipsa Germanicorum regnorum atq; Principatum constitutione reposita videtur. Cum enim populus delatione regni peculiaris bona Principi assignaverit, quartam fere ubiq; regionis partem continentia, quorum redditibus ad sustinendam imperii dignitatem, oneraq; ordinaria ferenda frueretur, itemq; certi generis vectigalia eidem addiderit, queis adventantes, transeuntes, aut mercaturam in provincia exercentes præsertim onerarentur, Imperandi conferendiq; tributum nec jus erat nec necessitas, nisi quod reddituum publicorum defectus fortè existentes voluntaria quadam col-

lacione liberaliter populus suppleret. Solut casus belli extraordinaria retinendi status subsidia flagitabat, quorum onera ita eum plebe nobiles partiti sunt, ut hi quidem in se pericula militiæ, quæ tunc præcipue equestris erat, reciperent, plebs res bello gerendo necessarias conferret. Ad partes Nobilium Princeps ipse accedebat, ut qui personam Ducis gerens de periculo & clade belli participaret, suis simul prædiis immunitatem stipularetur. Atq; ejus pacti autoritas etiamnum perstat, de cujus tamen integritate mutata temporum bellorumq; ratio subinde detrahit.

§. LI.

Atq; illa sunt jura præcipua & constitutiva quæ quidem nobilitati Germanicæ putamus inesse, reliqua quæ ornamento eidem & emolumento esse possunt, non equidem inficiamus, aut negligimus sed nunc non persequimur. Quemadmodum nec specialia reliqua hic attingimus. Id unice adhuc videtur agendum, ut brevibus ea quæ circa originem nobilitatis sententiæ nostræ obstant removeantur, cum jura ipsa, quæ diximus eidem competere, vix quisquam generatim sollicitetur. Sunt vero qui ad *naturam* ipsam origines nobilitatis referunt, sed cujus vocabuli obscuritate imperite simul abutuntur. Quis enim inter res Physicas instituta civilia referat, nec in arte quidem Physica unquam clarus erit qui de rerum naturalium causis interrogatus, ad meram constitutionem naturæ provocaverit. Falsissimum præterea est quod natura à plebejis nobiles differant, aut quod his ex meliore luto finxerit præcordia

dia Titan. Eandem omnes causam originis habemus, ex eadem materia corpuscula omnia humana constant, eodem omnes modô propagamur, nascimur, nutrimur, in eandem omnes tabem resolvimur, nec diversus vitæ futuræ status nos expectat. Ab Adamo tandem omnes descendimus, verumq; est quod ludit Poeta Gallus:

D' Adam nous sommes tous enfans
 La preuve en est connue
 Et que tous nos premiers parens
 Ont menu la charrue
 Mais las de cultiver enfin
 L'un a detelé le matin
 L' autre l'apresdinée

Quis porro credat hominem plebejum, quamprimum nobilitatis jura eidem conferuntur, eundem amplius non esse, sed cogitare subtilius, moveri aptius, aut majori morum integritate ut, cujus rei contrarium experientia demonstrat. Alii ad *virtutem* provocant, quam velut proximam nobilitatis civilis causam in superioribus rejecimus. Nec enim, si verum id esset, quod negavimus, hæreditaria ulla nobilitas daretur, cum virtus certè per traducem non propagetur, sed herorum etiam filii sint noxæ. Nec ratio reddi posset, quare aut dehonestamenta nobilitatis haud infrequentia cerneremus, aut virtute præditi nobilitate non fruantur. In Republica autem ex sola æstimatione virtutis discrimen inter cives constitui non potest. Nam & sæpe virtus latet, sæpe dubiis subjacet, sæpe vitiis mutatur, sæpe iterum à vitiis ad virtutem regress-

gressus est. Quæ omnia quis discreverit, quis tuto di-
 judicaverit? Porro ad principem præ alio locum ob-
 tinendum sola opus est voluntate ejus, qui utriq; im-
 perat. Ad habendam prædii proprietatem præcipua-
 quædam virtus non requiritur, cum ipsa natura homi-
 nis ad usum rerum exstantium jus faciat. Vid. *Grot. de*
J. Bell. & P. Lib. II. cap. 22. §. 10. Nec denique magnæ
 animi corporisque dotes efficere id debent, ut quis ad
 tributa duplicem Symbolam haud conferat. Quidam
 specialius loquuntur & de sola *virtute bellica* nobilitatem
 fluxisse putant. Sad nec illud admittitur, & plus forte
 in ea assertionem erroris periculique latet, ac vulgo cre-
 ditur. Qui enim ita crude loquuntur, milites alumnos
 martis, & pugnae imaginariæ in torneamentis socios
 confundunt. Galeas, scuta, insignia germanice *Waffen*
 dicta, quæ probationis loco afferuntur, in ludicris ma-
 gis quam feriis rebus solennibusque bellis adhibita fue-
 re, certe solam penes nobiles militandi licentiam olim
 fuisse haud quaquam evincunt, nec statim rerum sua-
 rum defensio militiam absolvit. Hic saltem observare
 juvat, si nobilitas Germanica militaris foret, non ma-
 gis nobilibus togam convenire quam plebejo sagum,
 nec quidquam jucundius esse posse, quam ut ingenio
 scriptisq; bene de Republica meriti manu strenuos se-
 præstare & atramenti loco, sanguinem prodigere jube-
 antur. Sola est originarii in Republ. pacti religio, sola
 ejus qui civile in eadem Imperium habet volun-
 tas, quæ nobilitatis civilis jura dare
 queat.

Greifswald, Dissy 1702/05

ULB Halle

3

004 564 162



TA → Öl

mit 1 + 17 Stück verknüpft und
f







Pri. 38. num. 12.
1703, 5
17
27
Dissertatio Politica
De
Constitutione atq; Genio

**NOBILITATIS
CIVILIS,**

P. 255.



Quam,
Sub PRÆSIDIO
Viri Excellentissimi,
**DN. JO. PHILIPPI PAL-
THENII,**

Historiæ ac Philosophiæ Civilis Profes-
soris Celeberrimi,

In Illustris Acad. Gryphicæ Auditorio Majori

Amicorum placidæ Disquisitioni

exhibet

BENEDICTUS BREMER,

Nob. Brem.

ad diem Junii A. O. R. M DCC III.

GRYPHISWALDIÆ, Typis GEOR. HENR. ADOLPHI, Reg. Acad. Typ.

11

